

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE COMPOSITIO

NE MEDICAMENTORVM SECVNDVM LOCOS

liber primus, Ioanne Guinterio Ander-
naco interprete.



QUOD non solum affectus, cui medebris, curationē sui indicat, sed etiam quod aegrotantis temperamētum, & particula affectae natura, non parum simul ostendunt, antea in libris Methodi medendi à me cōprehensum est. Quemadmodū & qua ratione quis ex simplicibus medicamentis cōpositum ipse moliatur, breuiter sanè illic: in septem uero libris hunc praecedentibus, uniuersam cōponendi uiam ac rationem, diffusius explicauit. In praesentia facultates medicamentorum unicuique corporis parti cōuenientes, quomodo quis & ipse methodo praeparet, & ijs quae à uetustioribus medicis inuentae sunt, recte utatur, institutum mihi est persequi, à capite exorso: quemadmodum etiam prioribus me uniuersis uisum est. Accidunt igitur ipsi, plerique sanè affectus alijs omnibus partibus communes. Pilorum autem uitium paucis commune est, eò quod capillis tegi prima ratione haud multis inest. Siquidem generatio pilorū habetur, qualis eorum est quae ex terra enascuntur, ut in commentarijs de temperamentis ostensum est. Quemadmodum uero in his alia artificio agricolae & uoluntate, alia ex naturalibus causis procreantur: ita etiam in animantium corporibus accidit: quippe caput aruo alicui respondet, quod triticum, aut ordeum, aut aliud quoddam cereale semen in ipso nascens cōtineat. Pili autem qui toto corpore suppullulant, origine similes, reliquis herbis montosis, minusque incultis locis nascentibus, respondent. Non enim primaria ratione natura ipsos creare consueuit, sed secundum aliquod accidens. At uero palpebrarum superciliorumque pili, haud mediocrem usum animantibus exhibere ostendebantur. Menti uero & naturalium pili minoris usus gratia procreati esse uidentur: quare etiam affectus, praesertim eorum qui in oculis superciliisque habentur, ad sui curationem nos dirigunt, mox eorum qui in capite sunt, deinde menti & naturalium. Sunt autem pilorum uitia, et absoluta ipsorum abolitio, & coloris immutatio: sicut in leucis appellatis accidit, & praeterea in alopecijs & ophiasis, non exigua & indecora simul pilorū noxa obuenerit. Nonnulli igitur pollicebantur se, uti has, sic etiam caluitia incipientia, ne aufererent prohibitoros. Sunt qui hoc fieri non posse affirmant. Verū ad alopeciae & ophiasis curationem uenientes, medicamenta tradiderunt, quibus se recipiunt absolute ipsas esse curaturos. Quinetiam cōplures medici, dum medicamentis ab ipsis proditis utuntur, non modo interdum ualde successu frustrantur, uerum etiam uehementer offendunt, ut dispositionē reddant immedicabilem. Quod ipsis euenit in alijs quoque permultis medicaminibus, dum eis citra methodum utuntur. Ego autē, id quod Hippocrates iussit, semper in artis operibus facitare conatus sum, ut remediū, quod ad mouet, sicut ille tradidit, adiuuet, aut certe non noceat. Iam uero quod citra methodum medicamentorū usus non solū nihil adfert praesidij, sed etiam frequēter nocet, hinc tibi licet cōdiscere: iam enim id quod propositū est auspicari tempestiuū est.

De alopecia, caluitio, & ophiasis.

Quemadmodum stirpium nonnullae humorum defectu inarescentes contabescunt, nonnullae uero alienis à natura sua humoribus conuersantes pereunt: simili

ratione etiam pilis usu uenit, ut uel inopia humorum, à quibus nutriri solent, aut prauitate corrumpantur. Inopia sanè humidæ caluitium accidit, prauitate autem humorum alopecia & ophiasis; quæ quidem ambæ, unus ratione morbida dispositionis affectus sunt, nomina autem respectu figuræ diuersa obtinent, quippe in ophiasis pars capitis oblaesa, serpenti similis apparet. Verū alopecia ideo (ut aiunt) appellata sic est, quoniam sæpenumero uulpes infestat. Nos cur sic uocata sit, non disquirimus: ubi autem quomodo gignatur inuestigassemus, prauorum humorum superfluitatem causam deprehendimus. Porrò quales hi sint, ex cutis capitis colore pernosces: siquidem hæc in nonnullis ad albidius declinare uidetur, in nonnullis ad nigrius, aut pallidius; quare etiam purgationē primū in ipsis totius corporis molire, medicamentum aut pituitam ducens, aut pallidam bilem, aut atram propinans: humorem, qui redundat, ex cutis colore conijciens. Ego semper ex Hiera purgavi, adijciens interim ueratrum nigrum, si humorem melancholicum expurgare uolebam: interim scammoniam, si biliosum. Cum autem pituitosiorē præpollere suspicatus sum, nihil miscui: nam tales, & præsertim ex capite, Hiera ex colocynthide purgare solet, necnon alios quosdā humores, etiam si non assumpserit scammoniam, aut ueratrum nigrum, aut epithimum. At catapotia ex aloë, quæ & scammoniam & colocynthidem obtinet, ita affectos utilius purgare conluerunt. Post totius corporis purgationem, pituitam per os educere satius est, deinde sic loco remedia inducere: de quorū compositione mox dicturus sum. Conuenit enim, sicut in alijs, ita in his, dispositioni mederi, cuius symptoma pilorū uitiū est. Si igitur prauitas quædam humorū in locum unū cumulatim se receperit, huc curationis consiliū diriges, ut quamcittissime hanc euacues, priusquam cutis ab ipsa in malam quandam habitudinem perducatur, ad eū ut licet prauos humores ab ea expuleris, probumque sanguinem ad eam confluere paraueris, hic quoque à prauo habitu, in ipsa confirmato infixoque corrumpatur. Si igitur prauos cutis humores euacuare cogitas, digerentium medicamentorum usus est. At qui forsitan opponet aliquis cōmunem in omnibus affectibus scopum, qui ex humorum influxu gignuntur, & negligi & peruerti ipsum arbitratus: quippe repellere eos oportere dicimus, refrigerando partem & astringendo, non extrahere calfaciendo: esse autem digerentia medicamenta omnia facultatibus calida. Et uerè quidem hæc obiecta esse dicemus: nam incipientes ophiasis aut alopecias, ne augetur, huiusmodi medicamentis prohibere cōuenit, non tamen iam uocari initium ipsorum alopeciam aut ophiasin, quemadmodū nec scabiem, aut leprā modo, quæ ex impetigine capit originem. Ego sanè, ut nouistis, etiam confirmatas iam alopecias nonnunquam sola purgatione curavi, nullum præterea medicamentum post ipsam loco affecto inducens: quare re motus sum, ut etiam amplius huius experimentum fecerim, idque ex tali quodā euentu. Adulescens quidam boni habitus & luctæ studiosus, hoc capitis affectu conflictabatur: erat autem nobis admodum familiaris, ut etiā uictus rationē ipsius cognosceremus, quæ mensibus iam tribus quatuor uel 49
 usus erat, singulis ferè diebus fungis se replens: hunc sola Hiera ex colocynthide bis intra dies quinq; purgavi: primum drachmis quatuor, secundo quinq;. Verū priusquam ad has ueniret purgationes, dedi undecim ex aloë catapotia, ciceribus magnitudine similia. Habent autem hæc cucurbitæ syluestris partē unam, aloës & scammonia, singulorum duas. His ego absynthij succi partē unam admisceo, antea uero mastichen quoque chiam & bdellium indidi: sic enim Quintus urebat. Sed cur ea subtraxerim postea, alia ratio est, quam in commentarijs de purgantium medicamentorum compositione dicendam differo. Quum igitur post tres hæc purgationes pituitam per os educiturus essem homini, deinde quodam indolenti particula medicamento usus, contigit ipsum ex improviso peregrinationē quandam

dam subire: in qua boni succi cibus, quos à me audierat, utens, post dies circiter uiginti reuersus est, pilorum affectu persanatus. Hac igitur occasione ego eandem curationem in alijs molitus, distuli capiti medicamēta imponere, ut quid sine his eueniret conspicerer. Curati itaq; sunt omnes hoc modo. Non tamen in uetustis iam tale facere experimentum tentauī. Nam sanies cuti insidentes ægrè in his extergi possunt. Multo autem magis, in quibus iam ipsa quoq; cutis malo quodam habitu prædita est, solis purgationibus fidere non expedit. Hæc quidem igitur necessariò præfatus sum: de medicamentis autem, quæ affectum adiuuant, iam dicere exordiar. Proinde oportet ea omnino esse, quæ noxium humorem euacuent: uacuare autem nullum potest, nisi uim digerentem obtineat: hanc rursus habere nequit, nisi calefaciat. Verum si ex genere impense calefacientiū existat, cutem aduret: atq; si non adurat, initio quidem strenuè iuuabit: desiccata autem nimium temporis spatio capitis cutis eiusmodi euadet, qualem calui obtinent. Non tamen ab soluto etiam sermone mediocriter calidum esse oportet, [sed] intra propositi scopi terminos consistens. Etenim tenuium partium id esse conuenit, si in altum penetraturum sit, ex quo pilorū radices trahunt originem: et uirtute eiusmodi, quale prædictum est, cum cutis capitis crassior duriorq; sit, ideo quoq; medicamento indigebit efficaciori. Si tamē, præter quod prauos discutit humores, sanguini probo extrahendo sit idoneum, quemadmodum thapsia, id utiq; erit præstantissimum.

At quum thapsia multo sit calidior quàm affectui conducat, meritò ipsam aliquis solam applicare cauerit: siquidē exulcerationes in cute solet excitare, & œdemata quædam inflāmatoria omnino: quapropter nonnulla uehementiā mitigantiā ipsi admiscemus. Potest autē id præstare ceratū ex oleo confectum, quod, oleum dico, tenuiorū partium existat, quale Sabinum est. Præstaret, si etiam mediocriter esset uetustum. Iam ricinū oleum ad hoc conducit, naturā ab initio talem obtinens, qualem Sabinū, quum in uetustatē incidit. Quod si neutrius copiā habueris, aliud græcanicū oleum quodcunq; sine oliuæ germinibus confectū miscebis, magisq; si uetustum sit. Constat igit id quod ab Iberia, aut Hispania affertur, aut quomodo cunq; nominare libet, fugiendū esse: item quod ex oliuis nondum exacte maturis exprimitur, omotribes & omphacinū appellant. Vtus sum et sola thapsia, uirium ipsius acrimoniā copiosæ aquæ mixtura exoluēs. At eum qui thapsia utetur, scire oportet, recentē à uetustiore multū differre: nam post annū uirtus medicamēti admodum dissoluitur: adhuc magis si bimulū fuerit: audebit aliquis dicere trimulū omnino inutile effici. Itaq; hæc intelligens aquæ misturā inæqualē efficit, recentī sanè copiosam temperans, atq; ideo frequenter illinens quotidie: imbecilliori autē uetustate, pauciorē, ut & diutius propter crassitiē adhærescat, et nō statim propter humiditatē decidat. Quinetiā si compositū medicamentū pares, quod thapsiā quoque recipiat, quale est, quo ego continuè utor, miscebis nō æquale semper thapsiæ pondus, sed quantū tempore ætatis procedit, tantū augebis. Distinguetur autem exactius adhuc de isto paulò postea, cum ad cōposita proficiscar, persecutus antea quæ simplicia medicamēta huic affectui sint familiaria. Etenim ex eis quæ ualide calefaciunt, euphorbium est: ex eis quæ abunde, laurinum, siue oleum sit, siue unguentum, siue quodcunq; ipsum uoles appellare: etenim his quoq; inest, ut præterquam quod calefaciunt digeruntq;, sanguinis aliquid in locum ab eis incalescentē attrahant. Licet igitur ipsis uti etiam separatim: euphorbium sanè in oleo leuigando, laurinum autem solum citra alterius mixturam inungendo. Quod si ex facili defluxurum uideatur, cæræ momentū adijcietur. At cum recens euphorbium multo sit calidius, bimulo iam aut trimulo utens, libræ olei Romanæ unam euphorbij unciam immittes, quæ est duodecima olei pars: recenti autē parçè uteris: paululum primo contemperans, uel etiam cæræ unciam unam adijciens, ut con-

Græcum non
habet.

spicias quomodo hominē excalefaciat; licebit enim tibi, ubi secundo uti uelis, rursus immittere siue oleum uolueris, siue ceram. Similiter & thapsia omnibusq; ualidis medicamentis utendum est. Etenim minus peccatum nullam noxam adfert; maius interdum exasperat exulceratq; cutem, & inflammationē mouet. Quin & in subsequētib; ubi inter cōposita medicamenta quandoq; scriptum sit euphorbium, aut thapsia, pondus ipsorum de uigentibus medicaminibus, non uetustis, inaudire te oportet. Itaq; uetusta admodum omnino fugere conuenit, non in his modo, sed etiam alijs medicamentis, quæ succi sunt, liquores, flores, folia, fructus, radices, & semina: quandoquidem & metallica longo temporis spatio & ipsa facultatibus languescunt. Vtimur autem nonnullis medicamentis uiginti aut triginta annorum, eò quod absolutā nondū declinationem habeant. Alia enim alterius declinatio est & uigor, & ut aliquis dixerit, etiam senium. Porro unūquodq; suum indicat uigorem, n̄s qui frequenter uiderunt, ex odore & gustu: interim uero & colore, & consistētia secundum crassitiem. Quemadmodum in alijs uniuersis medicamentis cognoscendum existimaui non modo quod calefaciant, uerum etiam in quo abscessu: sic & in his quæ alopecijs congruunt, uolo te intelligere euphorbium sanè esse calidissimum, minus autem eo calidam thapsiam, post hanc esse sinapi & nasturtium; altero modo lemnitis nullo horum inferior est. Nominatur autē non sic tantum, sed etiam duplici alia appellatione, adarcion, et adarce. Hæc sequitur sulphur, nitri spuma, ipsumq; molle nitrū crematū: uocant id etiam berenicarium, quemadmodum album, aphronitrum, quod leue & laxum est, nullam in se terrenam asperitatem continens. Item ueratra ambo, erucæ semen, & laurinum, siue unguentū, siue oleum malis ipsum nominare; ad hæc alcyonia utraq; & usta, & non usta: potiora autem sunt usta. Iam radices arundinis & cortex, ambo & hæc concremata: imò etiam liquida pix, & liquor cedrinus, quem nonnulli cedriam nuncupant. Præterea muriū stercus, urisq; adeps, præstat si uetustior sit. Quinetiam hyenæ, leonis, pardali, & anseris adeps conducit, & omnes qui tenuiorum partium substantiam sortiuntur, ut in imam cutem usq; ad pilorum radices penetrent subeantq;. Iam & amygdalæ amaræ totæ combustæ utiles sunt, & thus in aceto quamacerrimo elaboratum. Audi autem me quomodo uerbum Elaboro dicatur, cum pluribus diebus, & præsertim in sole diutius aliquid cum acri aceto conteritur. His omnibus medicamentis uti licet, ualidis quidem ceratum liquidum miscendo, imbecillia uero oleo laurino imbuendo: ac inueteratas et cõtumaces dispositiones ualidis medemur, incipientes autem & exiguas, imbecillibus.

Ad alopecias composita.

Composita medicamenta, partim à prioribus medicis qui insignes extiterunt, uehementer commendata, partim à nobis ipsis longa experientia comprobata, huiusmodi sunt: Euphorbij, thapsiæ, & laurini olei, singulorum drachmæ duæ, sulphuris uiui, ueratri, singulorum drachma una, siue nigri copiam habeas, siue albi: his misceto ceræ drachmas sex, laurino, aut ricinino, aut ueteri oleo liquefaciens: & hoc ceu ualidissimo medicamēto in diuturnis & curatu difficilibus utitor. Ego nonnunquam his etiam nasturtij drachmam unam admiscui, aut alcyonij cremati drachmam: præstantius autem ad hæc, quod durius asperiusq; est. Quod si thapsia desideretur, in eius uicem tantum pondus uel nasturtij seminis, uel erucæ miscendum est, uel ipsum nasturtium. Si boni laurini desit copia, liquidam picem adiungito: itaq; laurinum, liquidam picem nō admodum superat; thapsia uero alia maxime: nam ualentissimum ex n̄s, quæ ad affectum efficaciter faciunt, hoc medicamētum est, cum, ut dixi, agrè cedit remedijs. Quippe exigua & incipientia etiā sola purgatio medicatur: & simplicia, quæ enumerauimus, singula cremata, si excipiuntur, uel laurino, uel cedrino, uel pice liquida, uel ricinino, uel oleo ueteri. Miscui interim

interim etiam mel loco cerati, minus & mole & pondere, ac nihilo inferius medicamentum euasit.

Iam quæ ex adipibus componuntur thapsiam assumentia, non nihil adiuuant; magisq; ubi ipsis miscueris adarceon, & euphorbium. Esto autem singulorū adipum (sunt enim tres) pars una, leonini, pardalij, & hyænæ. Si hyænæ desideretur, satis est duobus præsentibus uti, miscēdo anserinum; at si omnes quatuor habeas, omnes miscere oportet; & cum ipsis ursinum, si huius quoq; facultas est. Ei uero quod ex ipsis collectum est, sufficit duodecimam thapsiæ, aut euphorbij partem miscere; sin autem ualidius cogites efficere, amborum pariter, quippe per experientiam hæc quoq; probata, medicamenta efficacia inuenta sunt. Etenim ut pluriū habere experientiam, singulis familiaribus medicis, qui postulabant, aliud atq; aliud ex tempore tradebam, ex ijs quæ usu essent comprobata; ac plurima compta sunt præstantissima. In primis autem meminisse nos oportet methodi, quæ in usu ipsorum uersatur, communis omnibus, & præcipue ualidis medicamentis: ideoq; ipsius frequenter mentionem facio, quod magnam uim obtineat. Nam qui singulis ualidis medicamentis utitur, per initia sanè ipsa molliora offeret, mixtura nimirum eorum quæ uim illorum ualidam dissoluant; cuiusmodi sunt oleum, cera; & ex simplicibus, quæ imbecillia diximus, thus, arundinis cortex, radices crematæ, amygdala amara, aliaq; id genus. Postquam primum & semel usus fueris, secundo considerare oportet, quam immutationem in affecta parte medicamentū quod applicueris molitum sit, & ad illam respicientem, uel uirtutis ipsius uehementiam mitigare uel augere: ut in ipso nunc proposito affectu, nouacula pilos cōuenit auferre, cutem affectam linteo perfricare, neq; aspero nimium, neq; molli, obseruātem quantum ruboris huic ex hoc motu & fricatione accedat: erit enim tibi hoc ad curationis spem usui futurum: si ob modicas sanè frictiones rubeat, mediocrem dispositionem censebis; sin ob multas difficiliorem. Nam cutes nonnullæ, etiam si diu confrices, non rubescunt. Constat igitur omnibus, has esse difficillimas: quemadmodum quæ facile rubescunt, mitissimas; quæ in harum medio consistunt uniuersæ, tantum inuicem differunt, quantum uel pessimis uel moderatissimis accedunt. Hæc igitur obiter dicta sunt, etsi ab instituto opere non sint aliena. Rursus igitur ad id reuersus, methodum illam quæ in usu uersatur, in memoriam tibi reducam. Nam ubi primum medicamen probatum applicaueris, spectare conuenit initio, an etiam ante frictionem cutis appareat coloratior, mox an ex pauciori fricatu, quàm antea: uel si cum æquali quidem, sed magis ac antea rubuerit. In primis autem considerare, quando ualida inducis medicamenta, ne supra modum cutis incalescat. Deprehendes id, colorem ipsius contemplans, & digitos iniiciens, colore siquidem erit flauidior: digitis autem iniectis, impense calida apparebit. Quare curam in huiusmodi adhiberi conuenit: periculum enim est, ne cutis aduratur, ubi iterum atque tertio ipsis usus fuerit. Digredi ergo ad mollius aliquod oportet, aut eodem utendo, sed ui ipsius resoluta, mixtione cerati aut adipis, aut humiditatis cuiusdam oleose. Vtilis est asperio ex oleo dulci, calido, & panis in cataplasmate, item fomenta, scarificatus, cucurbitulæ, cerati inunctus. Quod si affectus in uetustatem inciderit, frequens rasura, & rubor linapi excitatus, ut prædictum est, fricationes subsequentes, pice oblita, aut cedrino oleo: post fricationem scarificatio conducit. Nonnulli aciculas colligantes, ut aciem supra cutem habeant, ipsam pupugerunt. Rubore ex fricatu excitato, & scarificatione adhibita, medicamentis uti oportet recorporatis. Porro in omnibus communis scopus est, ut medicamentum in aëre calido admoueatur, & si locum habes aliquem soli opportunum, in illo potissimum, ne aura ipsum perspiret: hyeme autem in balneo medicamentis uti satius est.

Quæ composita medicamenta seniores me, in alopecie affectu prodiderint.

» Heras igitur in Narthece ad uerbum ita scriptum reliquit: Ad alopecias, alcyo
 » nium quod asperius est, ustum lauigatumq; cum oleo loco illinito, præsertim ex
 » lucerna oleum capiēs. hæc fanè Heræ scriptura est. At intelligere nos oportet, me
 » dicamentū hoc facultate esse mediū, ac ideo etiam mediocres magnitudine alo-
 » pecias mederi potest. Mediocre siquidem est medicamentū, si arundinis radicem,
 » aut corticem, aut amygdala amara, aut tale quid combustum, oleo temperes. Va-
 » lida autem, quæ euphorbio, thapsia, & adarce constant. Mediū inter hæc ordi-
 » nem obtinet crematū alcyonium; sed etiam hoc ipsum moderatius est oleo com-
 » mixtū: ualentius, pici liquidæ & laurino: miscetur quoq; prædictis adipibus. Ego
 » fanè cuidā cum utens ursino adipe ad affectum nihil proficeret, consului, ut com-
 » bustum alcyonium adiungeret, unde celeriter per sanatus est. Lucernæ oleum, nō
 » alia quadam ratione accommodum est, quàm quod reliquo sit subtilius: accedit
 » hoc ei inde, qd ueluti in lucerna coquatur, fitq; tum ueteri tum ricinino persimile;
 » quemadmodum si etiam aliter oleum super ignē uelis calefacere. Quin & sordes,
 » quæ in lucernis gignuntur, liquido luto respondentes, rusticantibus apud nos co-
 » gnitæ sunt in medio digitorum pedis ulcera sanare; quæ cōtinuē ipsis oboriuntur,
 » quod illos lauare purgareq; singulis diebus neglexerint. His igitur ipsis sordibus
 » lutosis, consului cuidam rustico, ubi rasisset alopeciam, quā mihi ostendit, illinere,
 » frequenterq; locum radere: quo remedio curatus ille, alios quoq; ita sanare tenta-
 » uit, ratus omnem alopeciam ab hoc medicamento posse curari. Ego autem mode-
 » ratam ipsius dispositionem contemplatus, sordibus sanatum iri speraui.

Aliud Heræ, in pueris conueniens.

» Aliud deinceps post commemoratū medicamentum his uerbis tradidit: Erucæ
 » seminis partem unam, nasturtij partem unam, nitri partem unam. In quibusdam
 » exemplaribus scriptū est simpliciter: Erucæ partē unam, nasturtij partem unam,
 » nitri partē unam. Loco pice liquida oblito, perfricatoq; antea, applicato: ubi me-
 » dicamentum abstuleris, locum spongia calente aqua imbuta abstergito: tolles autē
 » bis die. Efficax est maxime pueris hoc medicamentum, ualentius enim est priore:
 » Inueteratā uero & contumacem alopeciam non utiq; curauerit; id quod & Heras
 » ipse innuit, ascribens ipsum in pueris potissimum, hoc est, in corporibus molli cu-
 » te præditis esse efficax: facile siquidem ex talibus prauis humoribus discutiuntur. Per-
 » similem pueris cutem obtinent nimirum eunuchi & mulieres.

Quæ Crito prodiderit ad alopecias.

» Crito tertio Cosmeticorum in hunc modum scripsit: Ad alopecias dictas, qui
 » affectus pilos uitiat, & cōmuniter deformitates inducit, utendum est subscriptis
 » confectionibus, ut Heraclides Tarentinus. Amygdala amara cum corticibus cre-
 » mata, tritaq; ex aceto excipito, momentū mellis iniiciens: cum usus exigit, locum
 » affectum puro linteolo prius infricatū, cōtinuē illinito. Prodest autem maxime
 » assidua rasura, antequam medicamentum imposueris.

Aliud, quo Moschus usus est.

» Eripaciōrum marinorum testas combustas, exceptasq; aqua imponito, locis
 » prius infricatis. In quibusdam exemplaribus inueni non aqua, sed adipe ursino, ci-
 » nere erinaciōrū excepto: atq; hoc magis mihi placuit, est enim efficacius. *Aliud.*
 » Arūdinis radices uistas adipe ursino exceptas sic imponito. *Aliud.* Thapsiæ corti-
 » cem contritā ex aceto inducito. *Aliud.* Chamaleontis radicem diligenter in pul-
 » uerem redactam, cum aceto induces. Hæc præfatus Crito, deinde ista scribit: Cum
 » dispositio inueterascit, utendum est subiectis mistionibus: indicans ex his præscri-
 » pta medicamenta mediocriū esse dispositionū remedia. Tradit igitur deinceps
 » etiam quæ ad ualidiores dispositiones congruunt, quæ sic ad uerbum habent.

Quæ

*Αραιας πικ-
 & λυ υγρον πικ-
 εαι.*

Quæ Heraclides ad diuturnas alopecias tradiderit.

Ad alopecias, ut Heraclides Tarentinus, Orestini, ad inueteratas alopecias: Muscerdæ drachmæ duæ, thuris drachmæ duæ: aceto quam acerrimo dissoluta, locis prius derafis illinuntur. *Aliud.* Erinaciorum marinorū cum testis crematorū drachmæ duæ, gallarum immaturarū tantundem, amygdalarum amararum ustrarum par modus, muscerdæ drachma una: aceto dissoluta, tritaq; accurate imponuntur. *Aliud, ut Orestinus.* Urfi pilorū ustorū, adianti cremati, arundinis radicū ustrarū, ficifoliorū ustorum, cilicij panniculi combusti, singulorū paria pondera: adipe urfino & cedrino liquore excipiuntur: cum usus postulauerit, foueto locum fici folijs perfricans: nitroq; abstergens, illinito medicamento quotidie: ubi summa cutis exulcerata fuerit, ceratū applicato ex luteo oui, & triticeæ, necnon ordeaceæ farinae succo recenti oblinito. *Aliud* Othonis Siculi probatum. Ranarum minimarū crematarū in fictili cineris pars una, muscerdæ, ueratri albi, arūdinis radicis crematæ, piperis albi, singulorum paria pondera, aceto excipiuntur: utitor, locum prius infricans, pilosq; deradens. *Aliud.* Vngularum caprillarum combustarum cineris, thapsiæ succi, alcyonij, muscerdæ, aphronitri, myrrhæ, piperis albi, zinziberis, singulorum æqualis modus, trita curiosè felle caprillo excipiuntur.

Quæ Cleopatras memoriæ mandauerit in Cosmetico.

In Cleopatras Cosmetico medicamēta ad alopecias hisce uerbis cōscripta sunt, Ad alopecias: Sandaracham in leuorem detritam uisco quercino quam copiosissimo excipito: ac ubi locum nitro prius exterferis, medicamentum linteolo illitum applicato, Ego autem nitri spumæ prædicta admiscui, & pulchrè profecit. *Aliud.* Scyllæ drachma una, ueratri albi drachma una: læuigata ex aceto, loco raso, nitroq; prius exterso, illinuntur. *Aliud.* Sinapi drachma una, nasturtij drachma una: læuigata ex aceto imponuntur, loco derafo prius, nitroq; exterso: præstaret aut scarificare. *Aliud.* Corticis arundinis drachmæ quatuor, aphronitri drachmæ quatuor: pice liquida exceptis utitor, continue autem locum radito, & citissime pilienascentur: præterea adhuc linteo prius infricabis. *Aliud.* Murium capita amputata infricato: aut muscerdam læuem illinito parti linteolo extersæ. *Aliud.* Amygdala amara cum corticibus combusta ex aceto & melle terito, & locū cruentans, infricatione illinito. Facito autem hoc subinde, et locum nouacula radito, & statim pili emergent. *Aliud.* Hæc facultas omnibus præstat, ad pilos fluentes efficax, oleo aut unguento diluta: item initio pilorum oculi defluuio laborantibus, aut in caluitium incidentibus est admirabile. Murium domesticorum combustorum pars una, corticis uitis combustæ pars una, dentium equorum crematorum pars una, adipis urfini pars una, medullæ ceruinæ pars una, arundinis corticis pars una. Hæc sicca læuigentur, & melle quod satis est admixto, usq; dum ipsius spissitudinem habeant, conterantur, addanturq; adeps & medulla liquefacta. Reponatur medicamentum in pyxide ærea, quo confricabitur alopecia quousq; pilos produxerit: similiter etiam pili defluentes quotidie subungētur. Atq; ex his medicamentis, & illis quæ mox persequar, non difficile est acriora & ualidiora, molliora & imbecilliora discernere, si memor sis eorum, quæ initio dixi: sic enim licebit etiam ipsis pulchre uti: in alopecijs quidem moderatioribus, mediocribus: in ualidioribus, fortioribus, quemadmodum in ualidissimis, fortissimis.

Quæ Archigenes medicamenta alopecijs utilia conscripserit.

Conscripsit Archigenes quoq; hæc remedia ad alopecias in eum modū: Superficiarias alopecias, cute nitro extersa linteoq; expurgata, uerbenaca in sole trita, macerataq; aceto abunde, illinito: aut similiter extersæ cuti, betæ folia imponito, super humidum linteum accommodata: auferto autem locū madefaciens, altas alopecias cum aceto infricabis, nitri gleba, aut sepiæ testa, aut [ichthia] aut fici folijs, usq; ad

Vetus nō habet.

» sanguinis eruptionem: deinde hoc absterfo betam uino decoctam induces, aut fi-
 » cus liccas crematas in uino, aut lentis farinam cum uino applicato: aut alopecia in
 » pustulas erumpente, buprestis cum aceto, aut ranunculo, qui batrachion græce di-
 » citur, aut ari radice, cum horum aliquo medicamentum cerati figura efficiens in
 » noctem imposito: manè autem pustulis scarificatis, alium applicato, aut buseli-
 » num, aut anemonæ folia. Bene faciunt post excitatas pustulas etiam hippocam-
 » pi marini, usti inspariç, cum momento chalcanti crudi leuisç, aut suillarū ma-
 » xillarum ossa concremata. *Aliud.* Derafo capite exterfoç aphronitro, alcyonio
 » ex acri aceto infricato, usq; dum cruor emanet: deinde nucum auellanarum corti-
 » cibus cōcrematis, leuigatis ex melle quotidie bis curato: plurimum diebus decem 10
 » malum subsidet. Aut mures domesticos in olla tritos læues cum axungia excipi-
 » to, & allio alopecias prius infricans, splenij figura imposito, idç singulis diebus
 » facito, usque dum pili innascantur. Aut ranunculos exiguos similiter crematos in
 » cinerem cum pice frequenter restincta, quousque incrascescat, illinito, neq; radens
 » prius neq; abstergēs. Aut muscerdam & thus æquali portione cum aceto ad mel-
 » lis spissitudinem redacta inungito, locum prius ad ruborem exulcerans. Aut fi-
 » cus aridas crematas cum oleo similiter leuigatas illinito. Aut ueratrum album, pi-
 » per, muscerdam, absterfa prius parti & derafa, cum aceto inducas. Aut raphano,
 » & cepa per transversum secta infricans locum, strenue oblinito. Aut alcyonio tor-
 » refacto & intingens digitum in oleo, diligenter infricato, usq; dum rosionem exci- 20
 » tauerit, & restitues. Aut alcyoniū ad lucernā torrefactū, & adipē ursinum simili-
 » ter liquefactum misceto, inungitoç, in sole abstergens. Aut loco prius scalpello
 » exasperato, ut mos est, cepa leui cū melle obducito. Aut raphani cortice similiter,
 » Aut ubi scarificaueris cutem, arundinis corticē, quem Aegyptij hypthirion no-
 » minant, crematum pici liquidę admisceto, spleniumç imposito, quater uel quin-
 » quies soluito, deinde loco absterfo aliud splenium inducito: nonnulli nitrum ad de-
 » cimam cineris partem miscent, & ualde auxiliantur. Aut squamam stomomatis
 » cum aceto & oleo similiter illines. Aut æluri uel crocodili stercoreis drachmæ sex,
 » sinapi drachmæ quatuor cum aceto acri. Aut cantharidas uitas pice liquida exci-
 » pito, ut ceratū fiat liquidum, parte prius nitro tosto extersa, in splenij modum im- 30
 » ponito, ac finito per noctem adhærescere: manè ubi abstuleris, permitte locū sic-
 » cari usq; dum perumpatur: ubi pili eruperint, cōtinuò radito. Aut nasturtiū, aliq;
 » piper, muscerdam, ueratrum album, pari pondere cum aceto inungito. Aut cute
 » cruentata ichthia, aut ficulneo folio, aut pumice leui, amygdala amara uita, cum
 » oxymelite illinito, idç frequenter, & pilos radito: citò enim augetur. Aut testu-
 » dinis marinæ sanguinem illinito: cōmendatur. Aut hippotami pellem crematam
 » inungito. Aut nucibus auellanis uitis, et herba pedicularia cum laurino unguine:
 » hoc enim Archigenes approbat. Aut muscerdam & ueratrum albū inungito. Aut
 » arundinis corticis cremati & nitri, singulorum æquale pondus, pice liquida in ma- 40
 » lagmatīs formam redigito. Aut nuces amaras cum corticibus uitas ex aceto, aut
 » melle frequēter illinito, locum prius linteolo extergens, & frequenter radito. Aut
 » ammoniacum thymiamā cum liquore thymali infricato. Aut æluri stercore sic-
 » co cum aceto utitor. Aut rhus drach. iij. uel duas, sinapi drachmas duas cum ace-
 » to acri illinito. Aut amygdala amara cum pumice. Dionysidorus medicus. Cori-
 » um recens cōburens, cum aceto acri illinito. Summè facit in diuturnis thapsiæ suc-
 » cus uel radix, cerato excepta impositaç loco, sicut nihil aliud præterea admolia-
 » ris: recedit enim superior cutis, & tabes effluit, piliç sua sponte succrescunt. Vides
 » quomodo Archigenes medicamentū ex thapsia cōmendat: non enim inuenies eo
 » præstantius remedium. Porrò augetur fides præsidiorū etiam ex historiæ consen-
 » su, eoç ego Empiricorum quoç medicorum medicamenta omnia persequar.

Quæ Asclepiades memoriæ mandauerit in libro de alopecia.

Non iunioris Asclepiadis, nimirum qui insignes medicamentorum compositiones in multis libris conscripserit, mentionē in præsentia facio, sed antiquioris, Bithyni. Hic igitur Asclepiades celebratur curandi rationem inuenisse, qua multos dicit alopecijs difficilibus obnoxios conualescere; plus autem ad curationem ualere totam uictus institutionem, quàm medicamenta affirmat. Itaque uino omni usque ad finem his de causis abstinendum est. Constat autem causas ipsum prædixisse, quas librum legenti cuius licet discere. Deinde ordine subiungit: Vitanda etiam nimia repletio. Iam prohibet esse carnes, caseum, lac, legumina, & omnia simpliciter, quæ in parua mole uires obtinent, ad nutriendum, flatuque procreandos ualentes. Quin & exercitia multa fugere præcipit, sicut & continua balnea, multosque sudores. De medicamentis hæc ad uerbum scribit: Est autem primum unguentum tale: Aphronitri partes duæ, salis ammoniaci pars una, cremata leuigataque, aceto quâacerissimo subiguntur, donec sordium accipiant spissitudinē. Alopecia leuiter prius derasa, ut densescat, & locus fiat cruentus, caput modice inungimus, confricantes usque dum medicamentum conceperit, & in altum fuerit deductum. Vbi pulchre sic prius deliniuerimus, sinimus ægrotum conualescere usque ad crepusculum, deinde idem facientes uesperis, iterum atque tertio similiter, magnam immutationem deprehendimus: sistitur enim depastio, & pilorum defluuium, et si non uirahantur, resistunt, nec euelluntur: deinde subsequenti die confricantes ex aceto locum illinimus, usque dum pustula erumperet, & cutis per summa exulceraretur: ubi pustulas scarificauerimus, et id quod ab ulceribus aquosum fluit, biduum usque exuperimus, eodem rursus unguine utimur, cauētes ab ulceratis locis, eosque prætergressi, sanos ipsos aggredimur: hos quoque attingentes, ad uesperam usque permittimus, deinde idem moliti, & perfricantes paulatim usque ad septem & octo dies, iam contemplamur à terminis alopeciæ non tenues adhuc & lanuginosos pilos, ut antea, sed ponderosiores: deinde pedetentim semper hos in locum denudatum conscendere, deficere autem rursus tenues & imbecilles, ita ut simile quiddam exulceratis contingat. Etenim in ulceribus ab extremo cicatrix incipiens, sine ad ulceris media delinit: & in alopecia prima, quæ ad pilosam partem habent, inualescunt densanturque: quæ autem in medio sunt, postremo omnium pilos recuperant. Proficiente igitur curatione, nullum requirimus medicamentum aliud, uerum uno hoc longiori temporis spatio utimur, & affectus benigne cessit: nisi cum omnino permagna fuerit pilorum raritas, intercedente tempore frequenter nouacula rasimus, interdum mucrone scalpelli cutem lancinantes, per puncturas modicum sanguinis abstulimus. Hæc præfatus Asclepiades ad uerbum, de rasura secus quam alij deinceps pronunciauit: non enim continue, sed ex interuallo partem affectam radi iubet, cum iam mediocriter crassifili in ipsa nascuntur: incipientes autem etiamnum et tenues tondendos non censet. Vbi deradendis pilis sermonem absoluisse, deinde ad hunc modum tradit: Quod si pili tardius proueniāt, ad subscriptas facultates confugimus. Sunt autem huiusmodi: Erinacei terrestris caput aut cutem crematam in pulueremque redactam melle conspersam illinito. *Aliud.* Hippocampum marinum & nitri modicum simul comburēs, miscensque adipem anserinum, loco quem prius nitro exterferis inducito. *Aliud.* Thapsiam in aqua maceratam illinito. *Aliud.* Muriū stercora ex aceto leuigata inungito. *Aliud.* Arundinis cyprię folia & in fictili ustra, deinde resina picea quam plurimum cineris illius accipiens applicato, & alopeciæ prius scarificatæ imponito, deligatoque: aut corticem, aut comam arundinum similiter præparato: præterea nitri cineris æquali portione mixta, piceque excepta, utitor. Est autem non ignauum, sed admodum efficax remedium. Ad hæc Asclepiades meminit etiam muscarum, quarum iubet, ubi uenatus sis quam plurimas, statim capita in glabra alopecię loca imprimere: præsertim, in

quit, ubi ipsam exulcerauerimus: etenim fert etiam, ait, muscarum sanguinē, cum irritatur medicamentis ex nitro alijs que compositis, à quibus ipsam non solum rodi inquit, sed etiam pustulas excitari.

Quæ Soranus ad alopecias scripserit.

Quum nonnulla ex sua ipsius institutione præfatus esset, citassetq; Asclepiadis
 » uerba, deinde in hunc modum scribit: Quare cum uitiū recens est, abstrinentia pri-
 » mum cōueniet, deinde simplex cibus boni succi, fodus ex oleo dulci, calido, panis
 » in cataplasmate, fomenta, rasuræ, cucurbitulæ, ceratum & resectio. Vbi malum in
 » uetustatem incidit, continua rasura, rubor sinapi excitatus, frictiones præscriptæ
 » subsequenter diebus, ex pice illita aut cedrino oleo, item frictiones ex fici folijs,
 » aut cepa, aut linteolo indici digito, aut pollicis circunuoluto: post frictionem sca-
 » rificationes. Nonnulli autē aciculis colligatis ut acie cōeant, cutem pupugerunt;
 » post ruborem ex frictione excitatum, & scarificationem, medicamenta recorpora-
 » ratitia, siue unguenti modo, siue emplastri conueniunt. Huiusmodi autem multa
 » particularia sunt, quippe cepa leuis, aut raphani cortex, utrunq; cum melle appli-
 » catum, uel aphronitri pars una, cæræ & salis ammoniaci pars una, cremata leuiga-
 » taq; cum aceto acri, usq; ad sordium spissitudinē. Scripta sunt & alia multa, inquit,
 » apud Asclepiadem, Heraclidem Tarentinū, Elyphatidem, & Moschionē in Co-
 » smetico, ex quibus decerpit & ipse, tum ab Asclepiade prius conscripta, tum alia
 » quædam, quorū ordinē mentionem faciam. Adipis ursini pars una, arundinis fo-
 » liorū combustorū cineris pars una, ferri stomomatis squama aceto oleoq; mixta
 » ueteri, illinunt. *Aliud.* Aeluri aut crocodili stercoris drachmæ octo, sinapis drach-
 » mæ quatuor, ex aceto acri adhibentur. *Aliud.* Ordei cremati & muscerdæ æqualis
 » portio, cum aceto acri applicatur. *Aliud.* Nasturtium, muscerda, ueratrum al-
 » bum, & piper pari pondere ex aceto quamacerrimo. *Aliud.* Sinapi & nastur-
 » tium, aut spondylium ustum, leuigatumq; aceto, illinito. *Aliud.* Ranarum usta-
 » rum drachmæ octodecim, pumicis usti drachmæ duodecim (in alio quindecim)
 » sinapis drachmæ octo, nitri drachmæ quatuor, nucum crematarum drachmæ ui-
 » gintiquatuor, item ceratum ex pipere, pyrethro, calce uiua, myrteo oleo: oportet
 » autem locum affectum prius infricare, uel alcyonio usto, quousque rodatur, uel
 » erinacei marini combusti cinere linteo inuoluto, donec rubor excitetur. Reliqua
 » medicamenta partim à me usu probata, partim à præceptoribus meis, partim à fa-
 » miliaribus medicis. Pumice ijs quæ ruborē excitant admixto, foduq; prius adhibi-
 » to, thapsiæ succū illines, usq; dum cutis intumescat; deinde post fotum cerato rosa-
 » ceo utitur. *Aliud.* Arundinis foliorū & radice crematorū, ursi pilorum, adianti,
 » adipis ursini et picis liquidæ, pilorū caprillorū ustorum, & cedrini liquoris, omnium
 » octo paria pondera sumito, atq; ita quæ liquari possunt, siccis infundito, prius ab-
 » stergens. *Aliud.* Fici folia cum aceto & herbæ quæ dicitur stœbe, succo illinito.
 » *Aliud.* Ranas graciles ustas, pici liquidæ tepidæ inspergito, atq; sic applicato, neq; ra-
 » dens prius locum neq; abstergens. *Aliud.* Aphronitri drachmas quatuor, muriū
 » stercoris drachmas duas, arundinis corticis usti drachmas duas, pice liquida exci-
 » piens spleniū formato, & loco prius raso nitroq; exterso imposito: nō aufer ante
 » duos tres ue dies. *Aliud.* Sinapis, stercoris æluri, utriusq; paria pondera loco ante
 » absterfo illinuntur. *Aliud.* Vbi partem affectam scarificaueris, sepiæ atrametum
 » inducito, aut marrubiū uiride tritū applicato. *Aliud.* Sphæritidis folia torrida ex
 » aceto leuigato, impositoq;. Vocatur aut sphæritis, cypressus, quæ sphæria, hoc est,
 » globulos, seu pilulas producit. *Aliud.* Nuces amaras cum corticibus præparatas
 » ex melle & aceto, parti prius derafæ illinito. *Aliud.* Erinaceorū marinorum testas
 » crematas, cū melle et aceto, loco prius derafo illines. *Aliud.* Alcyoniū ustū, muriū
 » stercora, cum porri succo illinuntur. *Aliud.* Thapsiæ radice drach. iij. chamæle-
 » ontis

ontis radices drachmas duas, excipito uisco elaborato: at ubi in formã redegeris, imponito, ac ubi locus irritatus fuerit, auferto. *Aliud.* Arundinis græcanicæ foliorum ustorum drachmas quatuor, muscerdæ drachmas duas, erinaceorum crematorum drachmam unam, ex aceto leuigata inungito. *Aliud.* Salis ammoniaci drachmam unam, nitri drachmam unam, torrida ambo immerfaq; aceto ter die, ubi locum prius nitro exteferis, inungito. *Aliud.* Amygdalarum amararum tostarum obolos tres, pumicis obulos duos, salis ammoniaci obolos tres, similiter ex aceto illinito. *Aliud.* Piper, muscerda, ueratrũ album, pari pondere, cum aceto illinuntur. *Aliud.* Stomomatis squama cum aceto & olei momento inducitur. *Aliud.* Vbi locum pumice prius irritaueris, sulphur, nitri spumam, ammoniacum, singula æquali pondere mixta, cum aceto illinuntur. *Aliud.* Alcyonij drachma una, sulphuris uiui drachma semis, muscarũ tostarum, ut exiccetur, cyathus unus; muscas seorsim leuigato, & sulphur: alcyonium uero aquæ incoctum cum siccis leuigatur: affunditur pars una fellis suilli & aceti, donec sordium spissitudinem recipiat: deinde axungiam, quam à rotis deraferis, & in manu emollueris, misceto, ut emplastrum formam acquirat, alopecia prius derafa, & rubore in ea excitato, medicamẽto fidens ut præstantissimo, illinito. *Aliud.* Loco prius absterfo, chondrum aceto maceratum leuigatumq; cum liquore cyrenaico exiguo illinas. *Aliud.* Deterfo loco & lancinato, carycas tostas cum passo applicato. *Aliud.* Illinito passo, deinde ferulam crematam adhibeto. Quæ sequuntur duo medicamenta mirifica sunt, scripturam habentia eius, qui ipsa dedit, ad alopecias, caluitia, incurabiles pilorum raritates in capite, mento, & supercilij. Ouis pilorũ uncia una, arundinis radices uncia sex, filicis cum radice uncia tres semis, [castanearũ barbarum] unciæ tres, lanarum succidarum pinguisimarum uncia sex, capita muscarum numero triginta sex, muscæ quinq; sine capitibus: omnia in uas recens coniecta, fornaci imposito, deinde cinerem ipsarum leuigato: sint autem prius contrita in uino Amnæo. * Ladani uncia una, myrrhæ uncia una, & præterea iniiciantur olei ueteris uncia duæ, cedrini uncia una, malabathri uncia duæ, deinde inspersis siccis excipiuntur. Verum medicamentum inungito, ubi prius alopeciam linteolo confricueris, deinde ubi leuiter uellicaueris, aut cepa, aut scilla, aut fici folio sensim lacerans, ac post balneum ualido linteolo continenter abstergens, subsequenter diebus satis habeto illinire usque ad menses duos: quod si autem perseueres, etiam caluitio medeberis.

vetus habet, florum castanearũ.

vetus interpretatur, Aliud.

Ad eos qui præter ætatem caluescunt, auxilium.

Adipis taurini insolati libra, adarcæ uncia, thapsiæ succi uncia una semis (secundum alios, uncia semis) myrrhæ bonæ uncia una, polytrichi libra semis, callitrichi libra semis, genitalis asinini libra una, lienis asini libra una, ladani tantundem. Ladani ego uino modico comaceratum leuigauit, adipem aque uapore liquefecit: deinde genitale asini tostũ rade dum consumptũ fuerit: lienẽ torrefacito, cum callitricho & polytricho in olla recenti: ubi quæ cõtunduntur cõminueris & cribro se creueris, gleucino excipito, aut sabino oleo utitor ante balneũ, caput prius pecces. Iam constat eadẽ medicamenta etiam ad pilos menti nõ prouenientes conuenire. Fœnugræci sextarij quatuor, seminis lini sextarij duo, ladani unciæ octo, acaciæ succi unciæ sex, folij malabathri unciæ sex, gallæ numero uiginti, unguis aromatici unciæ duæ, arundinis syriacæ unciæ duæ semis (alij uncia una) bdellij unciæ duæ, myrti ustæ sextarius unus, musci (alij splangni, alij aromatici) unciæ tres, iridis astragoli (alij illyrice) unciæ duæ, arundinis syriacæ unciæ duæ semis: cõtusa simul cretaq; tenui cribro, miscbis deinceps ut prescriptũ est: cum usus postulat, iniicies medicamenti tertiam partẽ, aut quod satis est, in uas æreũ, aut fictile: deinde admixto uino Italico odoro, ut liquidũ euadat, deinde carbonibus superposito, & rudicula mo-

ueto, quousq; feruefcet femel, curam adhibens ne aduratur: deinde illines, iubens medicamento infudare: postea paulatim in folio perfricabis, & ut mos est, caput superfundens, abluito: mox herbam pediculariam cōtusam seorsim, cribratamq; per quatuor dies, in quibus uteris, medicamēto admiscebis, ac similiter incoques, eodemq; modo delines, cauens ne in oculos defluat. Porrò à balneo inunctione uteris hac; Olei myrtei libra una, ladanī uncia quatuor, medicina firmissima.

» *Aliud ad eadem:* Pericalamitidis uncia una, myropissoceri, apotragoponis, hoc est, ex
 » hirci pilis sordium, singulorū uncia semis, fœtus informis adipis libra, Dionysiaci
 » foliorum tenerorum succi, ladonidis foliorū tenerorum succi, callicerios succi, uer
 » benacæ herbæ succi, arundinis foliorum succi, singulorum cyathi tres, cynamori, 19
 » erinaceorum marinorum ustorum, singulorum uncia duæ. Multo autem præ
 » stantius efficies, si immittas acanthionis terrestris cute crematam. Omnia in mor
 » tario plumbeo pluribus diebus terere oportet, donec omnia leuigata probè in
 » unitatem coierint: & * ex mortario, quod satis est excipiens utitor, linteo aspero
 * *Græcum pau-*
 * *lo secius.*
 locum ualide prius infricans: deinde althææ uirentis radice absterfum hoc medica
 mine illinito, quod Claudianus familiaris noster in libello sic scriptū inuenit: post
 quam is qui illo utebatur decessisset è uita, omni studio comparare conatus, quod
 duos quosdam caluescere incipientes, curatos ab ipso uideret, ut neq; caluitiū pro
 cederet, & pars ipsa glabra pilis densaretur. Abdite autem & ænigmatice scriptū
 hoc cum accepissemus, considerabamus in unoquoq; quale esset quod significa
 20
 retur. Indagantes igitur aliàs aliud, longa tandem experientia nos inuenturos ue
 ritatem sperauimus: sed in præsentia scripta sint posteris, cum & nos postea tradi
 turi simus, si aliquod interea usu probatum, inuenerimus. Nunc sanè pericalami
 tidis dictum esse putamus arundinis corticē: etenim aliàs quoq; nouimus ipsam,
 ubi uita fuerit, huiusmodi dispositionibus conuenire, & alios ex ea scripsisse medi
 camenta huiusmodi. Probabile igitur est, quoniam circumdatus arundine cortex
 est, pericalamitem ipsum esse dictum. Potest etiam, quod uocatur à quibusdam ly
 mnestrum, à quibusdam adarce, & adarcium, sic dici, eò quod arundinibus adhæ
 rescant. At myropissoceri positum esse arbitramur pro pice & cera in unguento
 quodam liquefactis, ex ijs quæ ad huiusmodi conuenire uidentur, quale est gleuci
 39
 num, laurinum, nardinum, lentiscinum, sesaminum & cedrinum. Dicitio apotra
 goponos manifesto nobis uidet de ladano esse prolata: etenim cōsensus est ipsum
 ad huiusmodi dispositiones congruere, & generatio ipsius ex hircorum barbīs, in
 quibusdā regionibus accidit: id quod etiā Rufus Ephesius hisce uersibus innuit:

Est aliud ladanum, tellus quod mittit Erebbum,
 Hircorum barbīs hærens: nam germina cisthi
 Grata cibo memorant florentis summa capellis.
 Huius uilloso complentur fœmina pingui
 Tota caprūm, necnon barbæ magis omnibus hirtæ.
 Utilius non hoc morbis, sed præstat odore.
 Propterea mista hinc medicamina multa reseruant,
 Ambrosia, & regio producit qualia Erebbum.

An igitur hoc solum ladanum, autor medicamenti indi iubeat, incertum est: po
 test autem etiam de una specie totum genus pronunciaffe. At fœtus informis, ui
 detur mihi dicere ursæ: hanc enim aiunt, informem edere, ceu partem aliquam car
 nosam: matre autem hanc lambente, animal efformari. Dionysiaci uero, dicere ui
 detur uitis: forsan dixerit aliquis etiam hæderæ posse poni. Ladonidis, quod lauri
 intelligat, neminem puto ambigere. Callicyrios, fœnuigræci dicere uidetur: nam
 apud nos in Asia, hæc planta Aegoceros nominatur. Cynamorum, rubum cani
 num dici uerisimile est. Acanthionē terrestrē, puto dictum esse erinaceū terrestrē.
 De

De capillis fluentibus.

Affectus capillorum alius est, qui raritatem sanè cutis, substantiæ uero ipsos generantis inopiam comitatur: quare etiam curatio eorum, qui hanc noxam conceperunt, non idem consilium cum alopecijs obtinet. In illis liquidem eò tendimus, ut uitiosos humores consumamus: in his autem capitis habitum corroboremus, & probi humoris copiam moliamur, cutis mediocritatem in denso & raro reuocemus. Quare humectantibus medicamentis, aliquod mediocriter astringens misceri oportet: cuiusmodi est ladanum, utraq; in se moderata obtinens, quæ huic symptomati congruunt, calorem moderatum & astringentem ei respondentem.

10 Quapropter oleo mixtū, ut illinatur, fluentium capillorum symptoma sistit. Verum cuius constat, antequam medicamento utaris, capitis frictionem præcedere oportere, & multorū capillorum rasuram. Si autem anni tempus permittit, etiam omnium profusus: sic enim ob frictiones & illitus, ualida calidaq; cutis erit, & comoderationem densitatis habebit naturalem. Cæterum consuevit hic affectus capillorū magna ex parte oboriri ijs, qui morbo iam defuncti erant: raro etiam sine morbo: magisq; requirit uictus rationē & refectionem & salubrem: ac multi citra medicamentū absolute & celeriter confanuerunt. Composuerunt igitur tum ipsius causa medicamenta, quæ cutem mediocriter densarent, tum autem ipsam non frigerent: quippe uehementer astringentia, omnino etiam refrigerant, & affluxum alimenti repellunt: quo minus quàm par est suppeditato, capilli defluunt.

20 Huc itaq; medicamentorū rationem dirigimus, ut sanguinem qui affluit, non solum non prohibeant, sed etiam promoueat: sensim autem & leuiter cutem contrahant, laxatamq; constringant. Tale autem suapte natura est ladanū, quod quia consistentiam ceræ similiter obtinet, humiditatem quandam desiderat idoneam copiosamq; ut capiti inungatur. Præstat igitur humiditatem hanc similem esse ladano, hoc est, ex contrarijs facultatibus, attractoria & contrahentē temperatam. Non igitur aut sabinū, aut uetus oleum, aut ricinū idoneum est: sed quod in Iberia, aut Hispania, aut quomodocunq; uocare ipsum libet, generatur: habet enim nonnihil astringentis: hoc autem magis adhuc lentiscinum, suapte natura tale existens, quale & ladanum. Quare neq; expertus sum, neq; cogito medicamentum in fluentibus capillis fore præstantius eo, quod ex ladano & lentiscino temperatum est. Porro clarum esse cuius arbitror, raris crassius oportere medicamentum adhiberi: tonsis autem liquidius. Nam quod pilos nutrire haud conueniat, donec aliquis sic fuerit curatus, nemo ignorat. At si magnum fuerit defluuium, & magnam capitis cutis raritatem factam esse conijcias, haud absurdum fuerit in præsentia etiam myrteum in uicem lentiscini ladano misceri. Iam temperabis etiam aliquando & nardinum unguentum, in ætate frigida, tempore hyberno. Quinetiam bonum medicamentum ad omnia est, opulentarum mulierum unguen, quod uocant Romæ phuliatum. Non minus hoc laudabile est, imò etiam magis, quod appellant spicatum. Proinde his quidem per se opulentas mulieres ungi præcipito, & cum nardino præstantissimo. Ladanum in duplici uase liquefacito: ubi liquefeceris, cum nardino prædicta preciosa unguenta cuiuscunq; copiam habueris, admisceto. Mihi igitur hæc abunde fuerunt cum refectione & salubri uictus ratione, quæ in plerisq; sola sufficit. Composuerunt aut, ut dixi, nonnulli ueteres medici ad fluentes capillos medicamenta, quorū ego mentione facta, ut inter se differunt, percensebo. Primū persequar ab Hera scriptas cōpositiones medicamentorū, ex quibus primā laudo, alterā superuacaneā esse arbitror. Scribit aut de priore in hūc modū,

30
40

Compositiones medicamentorum ad fluentes capillos Herae.

Heras in Narthece tradidit duo medicamenta, subscripta illiusmet uerbis, ne capitis capilli defluant. Ladanum in uino austero macerans laeuigato, alternis uicibus

» bus superfundens oleum myrteum, & uinum, dum mellis habeat spiffitudinem,
 » ac caput ante balneum, ac post ipsum inũgito. Præstat autem & polytrichi, quod
 » nonnulli etiam adiantum nuncupant, & dimidiam partem ladani adijcere, & uti
 » cum myrteo uel nardino. Hæc de priore cõpõfitione Heras præfatus, deinde hæc
 » subiicit: Compositio olei ad capillos fluentes, eadem etiam nigrefacit. Intra calen-
 » das Iulias & idus, nuces uirides centum contufas, mixtasq; olei primæ notæ sexta-
 » rio uno, aluminis liquidum libris tribus, conijcitur in uas recens fictile, prius irrigatũ,
 » & diligentiffime circumlitum, reponitur in locum neq; nimis humidum, neq; cali-
 » dum, ac finito fubter terrã menses tres, deinde excipiens, utitur oleo. Hæc tibi eft
 » fecundi medicamenti fcriptura, magis quàm par eft astrictorium medicamentũ 10
 » efficiens; atque ideo corrigens ipfe astrictiõnis uehementiam primus autor, ex eo
 » quod defodit, & ueluti putrefecit mixturã, fubtiliorẽ medicaminũ fubftantiã red-
 » dere conatus eft. Huiusmodi medicamentum in anni tempore, regione, & natura
 » corporis calida, utile eft, ut in cõtrarijs ufurpare id tutũ non eft. Etenim uidi mulie-
 » res ab eo refrigeratas, ut in grauedinẽ capitis, raucitatẽ, & diffillationẽ inciderint.

Quæ Archigenes ad capillos fluentes confcripfit.

» Archigenes in primo generalium medicaminum libro, ad fluentes capillos in
 » hanc fententiã fcripfit: Ladani, abfinthij, paria pondera, baccae iuniperi leuiga-
 » tæ decem, linteolo illigata, oleo ad dies quinq; macerantur: ex hoc caput inungi-
 » tur, neq; pili defluent, neq; furfures habebit. Aut pectens, adianto illines, cum myr- 20
 » teo aut rofaceo oleo. Aut adianto, et myrti nigræ æquali portione, galla duplicata
 » cũ oleo ueteri, aut lentifcino, aut myrteo, ut mellis fiat spiffitudo, utitur. Aut thus,
 » aut mify, aut gallam, aut adiantũ pari põdere, cum uino marinæ experti in mellis
 » spiffitudinem redigens, terito in fole, aut coquito molliter donec nigrefcant: dein-
 » de oleo ueteri, aut lentifcino, aut myrteo mixtis utitur. Aut brafficam aridam tur-
 » fam cum aqua applicato, aut loti radicem fimiliter.

Quæ Cleopatraz in Cosmetico tradiderit.

» Quæ in Cleopatraz Cosmetico fcripta habentur, his uerbis fonant: Ut capilli in
 » capite crefcant, arundinis teneræ radicibus contufis fuccum exprimito, mufcas in
 » pulcricula torrefactas mifceto, adipem urfinum, oleumq; cedrinum unã conterito, 30
 » atque in idem temperata, da ut illinantur: ut autem odor obtundatur, uinum,
 » aut paffum adfundito. *Aliud non multo post prius fcriptum, hoc modo ad uerbum habet.* Ad ca-
 » pillos producendos: Lini femen aridum cum lini ftipite cremato, contritum cum
 » oleo fefamino illinito. *Aliud inferius fcriptum hoc modo ad capillos defluentis.* Terram cimo-
 » liam folidiffimam, uino auctero macerato, & mororum fucco tantum ut combi-
 » bat duntaxat, adijciturq; alterci feminis maximè leuigati acetabulum: deinde for-
 » matos inde paffillos, ficcatosq; in umbra, reponitur uafe fictili nouo. Vbi ufus exi-
 » git, aqua dilutos inungi iubeto: deinde cum liccatæ fuerint, eluantur per dies quinq;
 » idem facit etiam ad impetiginofa faciei & colli uitia. *Aliud quod ftatim auget capillos,*
 » *densat & nigrefacit.* Ladanum ex oleo leuigatur, & dulci uino. Vbi in craffitiem coie 40
 » rit, illinitur, loco prius abfterfo. Paulo post aliud medicamentum in hanc fenten-
 » tiam fcriptum eft. Ad defluuium capillorum, quod fine morbo oboritur: Braffi-
 » cam aridam læuẽ cum aqua oblinito, aut loti radicem fimiliter. Quare difcrepat
 » cosmetica, hoc eft, expoliendi corpora medicinz pars, à commotica, hoc eft, fucato-
 » ria. Commotica fanè fcopus eft, pulchritudinem afcitiã moliri: cosmetica au-
 » tem, ut id quod fecundum naturam eft, uniuerfum in corpore conferuet, & natu-
 » ralis fequitur pulchritudo: nam caput uifu indecorum, & deforme, affectu labo-
 » rans alopeciaz, quemadmodum etiam fi palpebrę ex oculis decidant, & fupercilio-
 » rum pili, Non folum autem ad pulchritudinem, fed multo magis ad fanitatem
 » ipfam particularum, pili hi conferunt, ut in libris de ufu particularum oftentum;
 » à me

à me est. Quid opus est dicere de impetiginibus, aut scabie, aut lepra, quod præter naturam hæc vitia existant? At albidiorē faciei cutem medicamentis moliri, rubriorem uē, aut capillos capitis crispōs aut rufos aut nigros, uel, ut mulieres, longissime auctos, hæc & eiusmodi, fucatoriae prauitatis, non artis medicinae opera sunt. Propter horum autem communionem, interim & regiae mulieres, aut reges ipsi fucatoriae artis officia nobis iniungunt, quibus quicquā negare non licet, cum doceamus differre fucatoriam ab ornatoria medicinae parte. Huius igitur gratia uisum est mihi etiam medicamenta Critonis ad capillorum præseruationē, & incrementum idonea, ex primo Cosmesticorum libro deinceps subscribere.

10 *Quæ Crito medicamenta tradiderit, conseruandis capillis, augendisq; apta, & defluuium ipsorum arcentia.*

In primo Cosmesticorum Crito statim per initia post præfationem hunc in modum scribit: Ad conseruationem capillorum, subscriptis confectionibus utendū est. Heraclidis Tarentini capillos conseruantia: Anemonæ florē cum oleo tritum illinito. Idem quoq; capillos nigrefacit. *Aliud.* Ladanum austero prius uino maceratum tritumq; myrteo oleo excipito, & capillos ante balneum subungito. *Aliud.* Verbenacam rectam cum radicibus siccatam contusamq; tenuissimo cribro incernito: deinde mixta oleo, ut sordium habeant spissitudinem, in uas æreum reponito, ubi usus exigit, cum oleo similiter utitor. *Aliud.* Ladani partes duæ, polytrichi, quod nonnulli adiantum uocant, pars una, uini & myrtei olei pars una. Nos autem loco myrtei olei, nardino uili sumus. *Aliud.* Idem etiam leuiter nigrefacit. Myrti nigrae uncia tres, ladani totidem. Terito dissoluens acaciae fructus decocto, hoc est eorum quæ spinæ siliquæ dicuntur. Vbi sordium spissitudinem habuerint, nardino, aut myrteo, aut alio quodam unguine excipito. *Aliud.* Illitus, qui capillos præseruat: idem quoque nigrefacit modice. Myrti nigrae sextarius unus, apij seminis sextarius unus, betæ seminis sextarius unus, myrti summitatū sextarius unus, adianti sextarius unus semis, ladani tantundem, uini nigri sextarij sex. Incoquantur, quousque in totū dissoluantur, ac ubi tertia pars relicta fuerit, olei, aut alterius cuiusdam unguinis sextarios duos, aut tres adijcito, rursusq; incoquito. Quum autem his aut ter sufferuefeceris, humorē expressum, perq; saccum diligenter traiectum, in fidelia reponito. Vbi usus postulauerit, radens omnino, utitor, capillos bis die oblinens. *Aliud.* Passi cretici sextarius unus, ladani uncia una, corticis nucleorū pini crematorum uncia duæ, polytrichi usti uncia una, adipis ursinae libra una, betæ succi cyathi tres. Ladanum coquitur & passum, donec spissescant, deinde reliqua adijciuntur. Excepta uase plumbeo, adseruatur. In usum, diluta quantum sufficit, quo uoles unguine, quotidie inducuntur. Nonnulli uero, capiti raso medicamentum illeuerunt, nullo humore dissolutum. *Aliud.* Ladani uncia una, passi sextarius unus, corticis nucleorum pini combustorum uncia duæ (in alio, uncia una semis) sphaera marina combusta contritaq; una, cilicij nigri, cremati triticij cyathi tres, polytrichi usti & contriti cyathi duo, adipis ursinae libra una. Incoquantur præparanturq; sicut à me prius comprehensum est. *Aliud conseruans capillos, & fluentes restituens.* Apij seminis uncia duæ, callitrichi uncia duæ, thuris uncia duæ, nuces auellanae numero quindecim, ladani uncia duæ, nuclei pini corticis libra una. Omnia in recentem ollam coniecta, orificio ipsius argilla oblito in balnei camino torrefient, deinde exempta conterentur. His adiecta ursinae adipis libra, mixtaq; pyxide ilicea excipientur. Quum usus exigit, capiens medicamenti quantum sufficit, subige quo uelis unguento, & caput bis die inungito. Quidam radentes caput, medicamine oblinunt, adipe ursina excepto. *Aliud ad caluitium, quo usus est Andromachus iunior.* Leporum uentriculi sex excepti, arefactiq; diligenter olla fictili friguntur. His myrti uncia tres, & summitatum tantundem, adianti uncia

» tres adijciuntur. Hæc omnia curiose frixa contunduntur, & subtili cribro incer-
 » nuntur, deinde adipis ursini, & phocæ, utriusq; æquali portione admixta, denuo
 » subiguntur, excepta pyxide plumbea referuantur: quum usus postulat, cuiuslibet
 » unguenti liquore diluuntur. De his igitur tantum.

Quomodo capilli tingantur.

Secundum commemorata medicamenta, quum Crito alia prodat, quæ etiam
 capillos conferuare promittit, primum autem ipsorum opus est, tingere illos, ut
 uel nigri, uel flaui fiant, statui omittit per initia, omnia id genus, quæ palam sunt
 fucis dicata: quoniam haud noui quomodo iam commune institutum euaserit,
 mulieres senio confectas, capillos capitæ nigrefacere, quasi turpe existat, canos ha-
 bere; atque hoc ipsis masculis uidetur, necnon odiosum esse dicunt, anum mulie-
 rem canum gestare caput. Quæ sanè ex delicijs seipsas comit, harum nulli, quum
 aliquid à me sibi dari postularet, exhibui. At grauiore, quæ & fucum uitarent, &
 maritorum ipsorum importunitatem auersarentur, uoluerunt quodammodo ca-
 pillos nigrefacere, citra astringentium noxam, quæ ex denigratione conciliatur,
 illis consului, ut cedrino oleo uterentur, quo sese horis tribus, quatuor ue, ante-
 quam balneum ingrederentur inungentes, abstergerent postea, idq; facerent
 dies quatuor aut quinque. Nam cedrinus liquor, quum medicamentum sit impen-
 sibile calidum, præterquã quod non lædit, adhuc etiam mulieres facile frigoris iniuriæ
 opportunas adiuuat. Conuenit autem ipsum olei expertem assumere in capiti-
 bus, quæ exiccari, calefieriq; uehementer desiderant, quibus humida nimirum, &
 frigida intemperies inest. In alijs medicamentum hoc oleo temperatum, fluentes
 capillos instaurat, & non fluentes auctiores reddit. Verum mulieres delicatæ odo-
 rem huius fugiunt, qui alioqui ingratus non est ijs quæ in usus consuetudinẽ per-
 uenire sustinuerunt. In Asia apud nos mulieres rusticæ in montibus agentes, nõ so-
 lum cedrino liquore, cum oleo miscentes, illinunt & totum corpus, & caput, sed
 pice etiam liquida, cum oleo in eum modum temperata, capillorum in capite radi-
 ces illinunt, atque medicamentum compositum uocant pisseleon, diuersum à pis-
 santho dicto, quod liquidæ supernatat pici, tenuius ipsa tum consistentia, tum facul-
 tate. Huiusmodi medicamenta tarde ut canescas, efficiunt, nihil noxę utentibus in-
 ferentia. Quæ autem ex austeris & acerbis componuntur, ualde offendunt. Ma-
 teriam, unde hæc constant, quæ astringentis est qualitatis, uirtutisq; non nihil sub-
 tile etiam habere competit, ut non solum per summa, sed in alto quoq; cutem usq;
 ad capillorum radices inalteret. Hæc itaq; compositionis ipsorum est methodus.
 Habes in cõmentario de simplici medicina particulares ipsorum materias, in qui-
 bus eorum & facultates & qualitates comprehensæ sunt. Poteris igitur ex illis &
 quæ iam à ueteribus cõposita sunt, quali sint uirtute prædita inuenire, & ipse com-
 ponere: id quod utile est, tum ad affectuum qui oboriuntur dignotionem mulie-
 ribus quæ in terim offenduntur, tum eorum quæ euenient prænotionem, præsentiumq;
 remedia. Quippe non modo periclitatas subinde mulieres noui, sed etiam
 mortuas, quod caput ex huiusmodi medicamentis impendit esset refrigeratum.
 Noxa autem ipsis maxime obuenit aliquando in apoplexiam, aut morbum co-
 mitialem, aut cataphorã, aut carum, aut catalepsim dictam incidentibus: aliquan-
 do catarrhis contumacibus corripuntur, ut pulmo afficiatur, & tabes inde sequa-
 tur. Porrò quæ caput frigidior temperamento præditum obtinent, citius lædun-
 tur: quæ calidior, tardius. Etenim frigida corporis particula frigidis affectibus,
 calida calidis facilius infestantur. Minus tamen periculum earum quæ frigidius
 sortiuntur temperamentum, quod ob minores causas offendantur. Calida, quia
 difficile à frigidis causis afficiuntur, quum à magnis uictæ fuerint, maiorẽ offen-
 sam ferunt: quæ communi & generali dicto incidit, quod apud Hippocratem scri-
 ptum

ptum est. In morbis minus periclitantur, quorum naturæ, ætati, habitui, & anni »
tempori morbus familiarior est, quàm quibus in aliquo horum nõ familiaris est. »

Quæ medicamenta capillos nigrefaciant, Archigenis.

Dixi paulò superius, medici officium non esse, ut in animum induco meum, qui talia medicamenta tractet. Imperant autem nobis interim regiæ mulieres, quibus recusare non licet, capillos nigrescere cupientes, aut flavescere. Quapropter & Archigenem puto, uirum alioqui grauissimum, de ipsis hunc in modum scripsisse. Hæc nigrefaciunt capillos: Capparis radix læuis, cum lacte muliebri » (nonnulli asinino) usque ad tertias decocta, nocte illinitur. Aut urina canina, die »
10 bus quinque, aut sex adseruata abstergito. Aut ilicis radicis cortex, dum tenerescat, » incoquitur: hic illinitur, aqua uero capilli absterguntur. Aut anemonæ interius » nigrum detritum, cum oleo myrteo attingito. Aut argenti spuma, cimolia, alumen » liquidum, pari portione, capillis absterlis, siccatisque, in noctem illinuntur, & folia » betæ supra deligantur. Aut terram selenusiam, argenti spumam, calcem uiuam, » singula pari pondere, aqua subigito, quousque mellis spissitudinem habeat: postea » capillis lixiuria absterlis, illinito, & similiter folia betæ imposita deligato, manè au- » tem excussos capillos attingito. Aut absinthij, ossium palmularum syriacarum, » fabarum Aegyptiarum, omnium combustorum per se cineris, æqualia pondera. » Vno Mendelio, sordium spissitudinem efficiens, ceratum myrteum misceto liqui- »
20 dum, & attingito. Aut salicis corticis succo cum oleo infricato: summè nigrefa- » cit. Aut ex nuce qui ueluti racemuli sunt, incoquantur oleo, deinde liquidum bitu- » men miscetur, & in usum adhibentur. Post commemorata, hæc quoque ordine Ar- » chigenes conscripsit: Barbam nigrefacit suber madoris expers: item plumbum » combustum cum betæ crudæ succo in mellis spissitudinem coactum inungito, sini- » toque usque ad prandium, deinde colluito. Aut recrementum ferri, & plumbum in » aceto coctum usque ad tertias, illinito, ab oleo abstinent. His subiunxit Archige- » nes ista, quæ & ipsa ex fucatoria prauitate existunt. Rufos efficiunt, lupini crudi, » cum aqua & nitro illiti.

Quomodo pili flavescant, fiantque crisperi.

30 Crispos reddes capillos, si spuma salis cum myrrha abstergas. Vel liquore car- » pafi utitor, & manebunt crisperi nigrique. Vel myrtis, & betæ femine pari pondere de- » tritis, cum oleo utitor. Vel asphodeli radice, cum mero illinito. Vel cortices lupi- » norum, & nitri momentum in aqua ad dies quatuor macerato, & utitor. Horum » medicamentorum memini hoc nomine, ut ostendam aliquos etiam uiros grauif- » simos cogi fucatoriorum quoque medicaminum experientiam sibi comparare. Cum enim Archigenes non ueritus sit ipsa conscribere, multo magis Critoni ali- » quis condonauerit, in Imperatoris curia medicinam exercenti. Iam et Heraclides Tarentinus, multa probataque medicamenta fucatorie speculationis scripsisse uide- » tur, etli nondum tantis delicijs mulieres diffluerent, quantis hoc tempore. Verum »
40 Crito Heraclidis, Cleopatras & aliorum qui post ipsos interea extiterunt medici, omnia medicamenta collegit. Ad illum igitur remitto eos qui uolent discere, quo modo capilli nigri fiant & flauis, aliaque eiusmodi. Scripsit enim quatuor Cosmeti- » corum libros, qui in omnium manibus habentur. Cur igitur ego ea transcribam, cum possent ij, qui uelint ab illo discere: In primo quidem libro de capillis omnia statim initio conscripta sunt peculiari ordine, reliquorum uero subsequenti- » um ita habent. Ut igitur ex facili qui singula eiusmodi medicamenta quærunt, inueniant, uisum mihi est singulorum librorum capita indicare. In primo igitur hæc sunt. *Primi Cosmeti- » corum Critonis capita. Quæ conseruent capillos. Quæ augeant capillos. Quæ præseruent capillos. Quæ tingant canos. Quæ tincturæ flauos capillos, aut aurei coloris reddant. Quæ capillos abstergant. Quæ illinantur ad conserua-*

tionem. Quæ faciei rugas exterant. Quæ ad splendorem faciei conciliandum illinantur. Cataplasmata ad faciei splendorem. Quæ supercilijs illinantur. Quæ supercilia nigrefaciant. Quæ oculis illinantur. Quæ ad absterfionem inducantur. Ad foedum narium odorem. Dentifricia. Quæ manducentur ad grauem axillarum odorem. Quæ manducentur ad foedum oris odorem. *Secundi capita.* Quæ colli nigrítias abstergant. Quæ ad axillarum defudationes illinantur. Quæ ad mamillarum conseruationem oblinantur. Quæ uentrem purgent. Quæ smegmata manus nitidas reddant. Ad nigrítias ex partu. Ad rugas ex partu. Ad fissuras ex partu. Quæ illinantur ad umbilici eminentias. Quæ pueros impuberes conseruent. Quæ uirginitatem tueantur. Ad humiditas & refrigeratas mulieres. Ad cicatrices nigrícantés. Quæ pilos aboleant. Smegmata, quæ capillos extenuant. Quæ capillis abolendis illinantur. Smegmata totius corporis. Quæ purgent, splendoremque pariant omnigenum. Cataplasmata aromatica uestibus dicata. Odoratæ uestium tincturæ. Asperfiones thaliamorum & pauimenti. Suffiminum uariorum præparatio. Illituum & unguentorum uariorum confectiões, Amygdalini, balanini, ex nucibus, sesamini, myrteí, lentiscini, laurini, rosacei, gleucini, melini, cœnãthini, sampsuchini, telini, fusini, quod nonnulli crininum uocant, ricinini, irini, narciscini, phœnicini, cyprini, crocini, nardini, amaracini, hedychroi, mendesij, malabathrini. *Tertij capita.* Ad porrigines omnigenas. Ad capitis eruptiones. Ad achoras. Ad pediculos & lendes. Ad alopecias. Ad scabiosas faciei dispositiones. Ad dentes. Ad ephelides. Absterfiones faciei. Ad stigmata. Ad liuores. Ad sugillata. Ad uaros. Ad epinyctida. Ad menti uerrucas. Ad menti impetigines. Impetiginũ illitus. Epithemata erosoria. Chloræ, ad excoriata impositæ. Leucæ, ad cicatricem ducendam. Medicamēta emollientia quæ impetigines exterant. *Quarti capita.* Ad alphos nigras & albas. Ad cicatrices nigras. Ad leucas. Ad lepras. Ad ungues scabiosos. Ad pruriginosos affectus. Ad psyrachas & excoriaciones. Ad serpentiã uitia. Ad scabida. Ad thymos. Ad uerrucas. Ad myrmecias. Ad umbilici inflationem. Ad intestinorum deuolutionem. Ad hydrocelas. Ad apellas. Ad anum proidentem. Ad chimethla. Ad pedum rimas. In his quatuor libris Crito diligentissime medicamenta propè omnia probata, decori conciliando idonea conscripsit, 30 adijciens ipsis etiam fucatoria, quæ uenustatem fucatam, nõ ueram pariunt: quapropter ego etiam ea omittam, eorum duntaxat mentionem factururus, quæ naturalem pulchritudinem tuentur. Eri enim quammaxime sciam smegmata, quæ corpus expoliunt, uirginibus mamillas diutissime conseruãt, impuberumque puerorum testiculos longo tempore exiguos seruant, & quæ pilorum generationem impediunt, scribere tamen huiusmodi reueor, ac multo magis, quæ Crito cataplasmata ex aromatis in uestibus prodidit, odoratas uestium tincturas, thalami consperfiones, pauimenti, suffiminum uariorum confectiões, item illitionum & unguentorum. Hæc enim extra medicinam sunt. Vbi autem tradidit quæ naturalem decorem conseruent, eorum sicubi opus fuerit, meminero: ac primum quæ 40 capillis adhibentur, quæ meo iudicio medicis futura utilia sunt, edocebo.

Quæ medicamenta pilos corrumpant.

Quemadmodũ eorum quæ augent capillos, alius quidem est medicinalis usus, alius fucatorius: eodem modo eorum quæ illos corrumpunt: quippe accidit nonnunquam, ut & medici huiusmodi medicamētis uti cogantur, idque secundum tres ipsorum differentias. Dico autem tres, quoniam alia propriè uocantur psilothra, alia pilos extenuantia, alia in totum abolentia. Hæc igitur postremo dicta, usum habent periculosum: interdum enim non solum illitæ corporis partes glabræ dehinc omnes fiunt semper, sed etiam caput, mentum, supercilia, & palpebræ pilis denudantur. Alia duo usum habent periculi expertem, partim pilos auferentia, quæ

quæ proprie psilothra uocari dixi, propemodum quotidie in usu adhibita, mulieribus serè uniuersis, & quibusdam uiris. Alia autem subtiliores pilos & minores efficiunt, idonea ijs qui duros, magnos, multos, & crassos obtinent, eorū sues referre uideantur. Ceterum hæc ratione maioris & minoris differunt: quoniam genus ipsorum est unum ex illis compolitum medicamentis, quæ putrefacientem uim, aut urentem obtinent. Præstantiora autem nimirum sunt, quæ putrificam habent: nam usum minus periculosum præbent. Periculosior est quodammodo uis adurentium, si quis negligat, dum modice pustulas excitant, aut exulcerant, aut quomodocunq; cutem adurunt. Particularem ipsorum materiam in commentarijs de simplicium medicamentorum facultate uniuersam tradidi: exempli gratia, quibus continue utimur, etiamnum dicam. Itaq; ex liquidis stillatitium dictum lixiuium, eiusmodi facultate præditum est. Ex siccis & metallicis arsenicum, sandaracha, calx uiua, quam pleriq; uocant hoc sole nomine uiuam, ceu non restinctam. Constat igitur uehementium in ipsis uirtutem, mixtura imbecilliorum medicaminum, & liquidorum & aridorum confringi. Quorum mensuram coniectura quidem primum, facultatis ipsorum peritus molitur: experientia uero id quod deficit, instaurat, aut adiicit. Verum quomodo etiam hæc, quæ experientia iudicata sunt, habeatis, ascribam à Critone prodita in primo Cosmeticorum, ubi prius indicauerim medicis quoq; necessarium sæpe usum ipsorum esse. Quemadmodum tincturas negare possumus fucatoriae prauitatis existere, ita inficias ire non possumus, ea quæ pilos extenuant. Si enim quis mediocres obtineat capillos, non ei superfluo comam nutrienti operam conducemus: sin autem multos admodum, longos & duros, ratio esse uidetur, hos pauciores, tenuiores, molliores, & rariores efficere. Accidit autem aliquando usus, quo ijs qui multos habent, densos, non tamen duros, in totum ipsis auferamus, quum uel picatione totum corpus indiget: utimur enim hoc prælidio nonnunquam ratione medica: uel etiam quum aliquod medicamentum emplastrum imponimus, necessarium erat omnes à parte pilos adimere: quod licet sanè et nouacula efficere. Nonnulli autem siue reuera, siue etiã simulanter aiunt se nouaculam extimescere: fieri enim potest, ut ab ea cutis conuulneretur: aliqui forsan etiam bona ratione timent, præsertim cum gutturis regiones radi oporteat. Ob has rationes medico pariter necessarium est, taliũ quoq; medicaminum experientiam habere, & compositionis & usus.

Quæ Crito ad pilos abolendos tradidit, in hunc modum sonant.

Abolentia pilos, psilothra dicuntur. Arsenici coloris aurei scrupula septem, aut decem, calcis uiuæ totidem, amyli uncia dux, terræ quam Romani uocant selenisiam, uncia una: omnia contrita, cribroq; tenuissimo increta reponito: cum usus postulat, capiens medicamenti quod satis est, aqua subigito, deinde illini præcipito, diligentia adhibita, ne adurat. *Aliud.* Statim glabrum locum efficit. Calcis uiuæ partes duæ, arsenici pars una: hæc cõiecta in pilam plumbeam & aqua superfusa, aut ptisanæ cremore conteruntur. At ubi nigrum colorẽ acceperint, calidos iubeto inungi, idq; in balneo: glabrum enim corpus efficit. Si autem radix tenuis eruperit, incoquito lixiuiũ, & arsenicũ, & ex aqua terito, aconitumq; in uas fictile iniectum coquito: ubi spissitudinẽ acceperint nigrumq; colorẽ, inungant. *Aliud.* Paradis orchysti, ilico pilos tollit. Sandarachę uncia una, calcis uiuę uncia una, arsenici uncia una, tusa cribrataq; reponito, ac utitor quemadmodũ prædictum est. Hoc erit manifestum si pinna in psilothrũ indita, continuo glabra euadit. *Aliud.* Amyli, calcis uiuæ, arsenici, singulæ uncia: cõtulis incretisq; utitor ut dictum est.

Heraclidis Tarenini, subito pilos tollens.

Calcis uiuæ sextarius unus, cimoliæ sextarius unus, pumicis crematæ sextarius unus, arsenici partes quatuor: leuigata reponuntur, in usu aqua diluito, & utitor

ueluti prædixi. Hæc igitur Crito conscripsit. Vti uero ipsis fatius est, sicut & nunc mulieres usurpant corpus oblinentes, deinde in tepidam balnei domum ingredientes, ac ubi sudare incœperint, strigili medicamentum ex aliqua corporis parte auferunt; deinde si pilos cum eo auferri sentiant, reliquũ totum corpus abluunt.

Quæ pilos corrumpunt, ita ut non amplius appareant.

Scriptum est de his quoque in libris commoticis, etsi iam materiem medicam egrediantur: quocirca ego quoque solum simplicium in ipsis meminero, quæ in opere de simplicibus quoque dicuntur. Componunt enim proposita superius medicamenta, ex lepore marino, iecore thynni putrefacti, liquore cedrino, ranæ quæ in uiridibus arundinibus depascitur sanie, testudinis marinæ sanguine, uitis albæ lachryma, hederæ lachryma, bryoniæ similiter, oleo insulso, marinis scolopēdris, urtica marina, stellis marinis, nitrum his & amurcam miscentes. Paulò autem ualidiora ex uiperis & salamandra componunt, oleo incoquentes: miscent autem ipsis & alcyonium & sandaracham, aliâque id genus.

Quæ extenuant pilos.

Extenuantibus pilos, utetur quandoque etiam medicus, ut dixi, quæ non eandem uim cum psilothris obtinent. Quam enim uocauimus in commentarijs de simplici medicina uim absterforiam, huius sunt ea quæ pilos extenuant. Quemadmodum autem in omnibus genere similibus medicamentis, differentia in maioris minorisque ratione consistit: ita etiam in absterforijs. Itaque ordeacea fabaceaque farina, præterea & eruina, aphronitrum & nitrum consueta omnibus sunt ad sordes abstergendas ipsis utentibus: continuus autem usus etiam pilos extenuat. Porro quæ ualentiores habent uim absterforiam, in ijs qui admodum duros magnosque pilos obtinent, assumpta hæc conueniunt. Huius notæ medicamentorum est nitrum crematum, nitri spuma, spumosumque aphronitrum: in continuo usu sunt etiam uasa nigra, quæ uocantur alexandrina, contusa minutim & tenui cribro increta. Pauperibus ego quoque fictiles testas, & quæ in clibano fiunt, pumicemque tum crematum, tum non crematum indicaui. Gratis autem habebit aliquis ad mare obambulans, aut urbe non procul à mare, testas crematas buccinorum, purpurarum, & aliorum ostreorum, sepiaæ testa etiam citra uestionem. Hæc sanè pauperibus admoueo: reliquis uero alcyonium, radicem lanariam, ueratra, item bryoniæ radicem, dracontij, aristolochias, canchry, panacis radicem, atque id genus alia. Tractatum est, ut dixi, copiose in simplicium medicamentorum opere. Hæc odorata cupiens reddere, miscebis cyperum, melilotum, rosas siccas, iunci quadrati florem, iridem illyricam, melissophyllon, herbam cydoniam: & si opulentis paras medicamentum, iniicies spicam nardi & Indicam & Gallicam, montanamque, & terram erethryadem: immittes etiam malabathrum, folium malabathri, amomũ, myrrham, crocum, costum, & mentham. Qui autem caret sumptuosa materia, ei etiam uiliores Cosmeticorum authores considerarunt, quorum & Crito meminit in primo Cosmeticorum libro, in hunc modum scribens: Ollam fictilem, uacuam recentemque, operculatam, grandemque capito, cui fragmenta cimoliam impones. Componantur autem hi quatenus licet, spectaculi modo, ut media ipsorum regio uacua sit: inter fragmenta autem ponantur iuxta se inuicem mala cotonea recentia numero uiginti. Hæc per interualla immutare precipito, deinde fictili operculato, mala marcescere sinito. Cum usus exigit, tollens quantũ sufficit, leuigansque uti iubeto. Postquam psilothra imposueris, surauem quendam odorem habent. *Aliud.* Rosas longè odoratissimas in umbra ad diem refrigeratas, ut ipsæ solum madorem non habeant, in uas condito, & glebas cimoliam, uti comprehensum prius est, substerne rosis, & rursum glebis interpone: deinde uase operculato sinito combibere. Vtus indicatus est.

De por'

De porriginē, seu furfuribus.

Furfuribus similia ex capitis cute excidunt subinde nonnullis, cum se scalpunt: eoq; Græci medici hoc accidēs pityriālin appellānt, ex prauis saniebus innāscens, quas ijs qui hoc uitium curant, consumere scopus est. Clarum igitur est omnibus, medicamēta digerendi abstergendiq; facultate prædita esse adhibenda, toto prius corpore præparato, si malignis succis plenum appareat: id quod in omnibus in memoria habendum censeo, etiam si inter dicendum omittatur. Porro miscuerūt nonnulli dictis medicamentis etiam astringentia quædam, affectam particulam corroborare cupientes, ne influentem saniei colluuiem ex facili in se recipiat, sed renitatur ac repellat: cuius rei gratia etiam Archigenes in medicamento quod ex chalcantio componitur, ascripsit in hunc modum: Hoc efficit, ut nihil in posterū generetur. Crito igitur in tertio Cosmēticorum huiusmodi medicaminum materia statim libri initio tradidit: atque idcirco, sicut nuper dixi, necessarium non est me conscribere, cum omnes eosdem libros habeant. At eorum quæ Archigenes prodidit, meminero potissimum: quoniam nonnullis ipsorum adiecit, ne rursus inat symptoma generari. Scribit autem in hæc ferè uerba: Victus ratio sit his nō flatulenta, nihil quod crassum succum gignat obtinens: quod genus est tubera, fungi, bulbi, legumen, caro præsertim bubula, similiaq;. Sint autem quæ assumuntur uentri ducendo idonea, concoctu facilia, adiungaturq; mel cibus. Condimentum, acetum cum sapa: condimentum, cuminum & fœniculum. Aliorum parcus sit usus, & præsertim ab omnibus bellarijs abstinendum. Vinum prodest album & tenue, uoluptati est uinum dulce & mullum. Inter fructus autumnales, præstantissima est uua quæ emarcuerit: deinde ficus ante cibum esse præstat. Concoctionis autem probæ in primis cura habenda est: obambulatio mitis conuenit plurima, manè & uesperī optima. Frigida lotio inter balnea potior est: calida lauranti incommoda est multa in aère mora, et capitis superfusio magis quàm balnei solū prodest: postea copiose frigida refocillato, dormire ad fatietatē, bono est. Ira, iracundia, insolatu, uehemētī perfrictione abstinendū, & omnibus quæ caput replēt.

Archigenes ad furfures.

In quibus autem furfures caput infestant, admixtam fœnugræco cum betæ succo et nitro cimoliam, felle bubulo uel suillo, acetoq; macerans, illinito: deinde post horam abluens, illinito chalcantio, nitro, ex oleo leuigatis: aut glandem unguentariam & lomentū, pari modo in aqua læuigata coquito & utitor. *Aliud.* Amygdalis amaris cortice exutis cum aqua aut aceto abstergito. Cum autē crines relicti fuerint, calida abluito: aut maluam agrestem in marina coctā, usq; dum pars decima relicta fuerit, læuigato & abstergito: aut nitri spuma chalcantioq; pari pondere cum uino utitor ter aut quater mense: hoc efficit ne in posterum regenerentur. Aut fece uini Rhodij, aut pumice & nitro æquali modo cum lupinis abstergito: aut cimolia cum fœnugræci diluto, nitro ue tosto & bulbo, * his simul totis paribus abstergito: aut picis liquide serum illinens, alumen inspargito.

De morbo pediculari, quī phthiriasis dicitur.

Pediculorum copia in capite quibusdam subito generatur, ex humorum scilicet colluuiē: calidorum quidem, non tamē quantū acris sanies caloris obtinet. Vnde constat pedicularem dispositionē in alta cute excitari, ubi etiam animalcula hæc gigni possunt: non per cutis summa, in quibus porriginem constitui dicebamus. Medicamenta igitur ipsorum oportet esse delicatoria, magisq; ex alto trahere & uacuare idonea inter ea quæ porriginibus conueniunt. Hæc sanē cōpositionis ipsorū methodus est. Materia uero usu cōprobata (conuenit em̄ in omnibus, ut dixi, animū adhiberē, & ijs quæ experientia cōmendauit, fidere) tertio Critonis Cosmēticorū libro comprehēsa est. Apponā etiam nū ego Archigenis uerba quæ in

Vetus, & his sine sale.

» hunc modum sonant: Auxilia morbi pedicularis. In pediculosis herbae pedicularia, quam staphida agriam uocant, partes duae, sandarachae & nitri, singulorum pars, cum aceto & oleo caput inungito: aut rhus obsoniorum cum oleo laeuigatum similiter illinito: aut oxylapathi radicem cum oleo similiter: aut ueratro albo & herba pedicularia nitroque pari pondere, cum oleo in balneo utitor: aut marina, aut muria meraca cum aceto foueto. Quod si locus nudatus sit, herba pedicularia cum oxleo illinito, aut alumen tritum ex oleo inducito.

De manantibus capitis ulceribus, quae achoros etiam dicuntur.

Achor affectus est unus ex his qui in capitis cute oriuntur: genere tumorum praeter naturam comprehenditur. Propriam autem singularemque appellationem propter accidentium proprietatem fortitur: nam tenuibus admodum foraminibus perforatur, quae subtilem humiditatis leuiter uiscosae madorem continent. Similis ipsi specie est & alius cutis affectus, quem a faui similitudine *κνήριον* Graeci nominant, quoniam foramina habet maiora, in quibus humiditas hymettio melli per similes inhaerescit. Origo ipsis est ex humiditate mixta, quae partim tenuem sanie mordacem, partim crassum humorem occupat. Itaque tenuis, ut quae mordax sit, primum sanie pruritus ipsis excitat: temporis autem spatium, ob pruritus & tumor augetur, & foramina in eo constituuntur. Liquefit igitur humores, qui affectum generant, esse uacuandos. Si autem influxerint adhuc, prohibere prius influxum, & capitis uacuatione, & praeterea totius corporis, ut in alopecijs ante comprehensum est. Quod si affectus sit exiguus, sufficiunt saltem loco remedia inducta, quae Graeci topica & merica appellant, etiam si totum corpus purgatum non sit. Conueniunt autem ipsis propter crassitiam & lentorem humoris eos generantis medicamenta hunc incidentia, sed quae facultatem digerendi & reprimendi necessario obtinent. Aceto eximum quiddam inest, ut quod incidat, praeterea digerat, reprimat, repellatque influxum: nam substantia quidem modice calidum est, plurima autem parte frigidum partium subtilium: id quod in primo de simplicium medicamentorum facultate ostensum est. Sit igitur acre admodum acetum, nihil omnino qualitatis uini representans: eoque mergens aliam aliam metallicum medicamentum, achoras curabis. Incipito autem ab imbecillioribus, praesertim si dolor aliquis ipsis adsit. Itaque cimolia huc conducit, & Cretica Lemniacque terra, item pompholyx & spodium, & argenti spuma, & tenera cadmia. Quod si his non cedat remedijs, medicamentum ex charta siccum, aceto mersum illinito. Clarum autem est, quod pilis prius ademptis, haec sis factururus. Si uero medicamentum ex charta uideatur tibi acrius, miscebis ei argenti spumam: siquidem abunde morsum eius obtundere uoles, aequalem pondere miscebis. Sin intendere cogites, pauciorē: quema dmodum si etiam plurimum uim eius soluere statueris, copiosiore. Cum autem mihi quandoque in agro medicamentum ex charta non adesset, in patientis domo speculatus chartulam inutilem, petito ellychnio ipsam combustam, mersamque aceto, patienti loco illentem, iniungens homini, ut postridie ad me ueniret: noueram enim quod dura carne praeditus cum esset, medicamentum toleraret. Mane igitur cum ad me ueniret, prope modum conualuisse eum uidebam: eoque ad aliud medicamentum digrediendum non censui, sed eodem uti ubi consuluissem, sanum omnino redditum postridie conspexi. Prudentis igitur uiri usus est, sicut dixi frequenter, peritique tum substantiae affectuum qui curantur, tum laborantis naturae, sicut & medicaminum facultatis, non generatim solum, sed etiam secundum quantitatem cognoscere, ut conijciat quotidie quali opus sit remedio. Nam in eo quod medicamentum pridie inductum intendas aut dissoluas, quantum affectus dicitur, conueniens curatio absoluit.

Ad achoras inflammatione tentatas.

Si quando achori inflammatione & dolore infestato incidas, mitigabis nimirum dolorem

dolorem ipsius antea medicamento liquido, concoquente, emolliente, & rosionis experte; cuiusmodi est parygron, ab Hera alijsq; multis conscriptū. Manifestum autem est omnibus, quod hoc ipsum in manu emollitum spatula unā cum rosaceo, factumq; ut illini possit, non emplastri modo, quale ab initio erat, impones. Cæterū idonea hoc tempore sunt & ea, quæ ad sedem ex ulceribus aut fissuris dolentem congruunt; de quibus suo loco ac tempore dicetur: sicut & ea quæ cancos mitigant. Hæc igitur omnia præmeditato tibi, & particularium medicamentorū uarietas utiliter cognoscetur, quam ego quoq; auspicabor, medicamenta ab optimis quibusq; medicis commendata, ordine persequutus.

Ad achoras medicamenta Archigenis.

10 Archigenes de achoribus in primo de medicamentis secundum genera hæc scripsit. In quibus achoras, aut caloris eruptiones, aut pustulæ quædam cum ulcere ca-
 put infestant, abstinebunt sanè ab omni acri & falso, præterea acido: deinde ralis
 capillis, aut ter aut sæpius quotidie calida lauato, in qua decocta sit myrtus, aut
 lentiscus, aut rubus, aut bryonia, aut sycaminus, aut lupini, aut lentes, aut aspara-
 gi radix: præcipue quū sanies copiosior effluerit, inducito salicis folia cum aqua,
 aut lenticulam cum melle, aut asparagi radicem coctam similiter: aut miscens fœ-
 20 nigræcum betæ succo imbutum, utitor probatis Liparis. *Aliud summè efficax.* Piceæ
 cortex cum cerato, aut cadmia cum oleo ueteri illita, aut cinnabari similiter læui-
 gato, miscens ei myrta applicato: aut conchas ostreorum crematas, singula cum
 oleo ueteri inungito, aut spodium & mannā in uino. Efficaciter ualet etiam chal-
 citis cum aceto & oleo ueteri illita, aut betæ decocto cum cimolia exiguo in bal-
 30 neum miscens salem: aut altercum & semperuiuum modicum læuigata cum ro-
 faceo ad mellis spissitudinem illinito: aut purgatis ulceribus smegmate aliquo, ex-
 empligratia, cimolia fricta cum uino, aut fece uini rhodij combusta cum aceto ue-
 teri probè, aut cucumeris syluestris radice decocto similiter, aut tragacanthum,
 aut argenti spumam, aut sandarachæ portionem duplicatam illine cum uino, uel
 etiam myrteo, ceu pingui medicamento: aut argenti spuma, et calce uiua pari por-
 40 tione, cum aceto oleoq; illinito: aut chalcitide cum myrteo, aut felle suillo liquido
 inungito. Hæc sanè Archigenes prodidit, non modo empiricam complexus di-
 sciplinam, sed etiam indistinctam. Inuenire enim est apud empiricos, qui ex ipsis
 non in contentiosis disputationibus uitam cōtriuertunt, sed in medicinæ artis ope-
 ribus studiose se exercuerunt, in quibusdam notis apparentibus manifestas distin-
 ctiones explicatas: quales ego quoq; paulo antea in alopecia tractaui: dicam autē
 etiam nunc in ipsis quæ Archigenes docuit medicamentis. Nonnulla siquidem
 ipsorum achoras incipientes sine malignis totius corporis humoribus, aut ipsorū
 copia medent, astrictoriam repulsoriāq; uim obtinētia: nonnulla uero achoribus
 grauiā minantibus, incrementis ipsorum obsistunt, repellentia simul id qd influit,
 simul etiā concoquentia, & id quod cōtinetur discutientia. Clarū autē est ea mixte
 40 facultatis esse oportere: quædā superficiarijs, & exiguis solis auxiliant, quæ medio-
 criā facultatibus esse cōuenit, & nihil qd irriter habere, ex digerendi facultate pro-
 deūtia. Alia uero fortissima ui pollent, ut etiā achoras à crassis admodū & uiscosis
 creatos humoribus, infarctosq; cuti cōtumaciter, possint euacuare: quare etiam si
 iam scirrhosum aliquid habeāt, hoc quoq; ui expellant: licet ipsum cutis habitū in
 eiusmodi prauitate ducant, ut id quod influit corrūpant, etsi benignū fuerit. Hæc
 sunt ex efficacissimis medicamentis cōposita, qualium Archigenes meminit, permi-
 scens sales alijs digerendi facultate præditis: sal em̄ & chalcitis, & cremata fex uini
 & sandaracha et calx uiua ualētissima facultatibus medicamēta sunt, calefaciētia,
 rodentia, & discutientia. Huius generis sunt & fel calidorū siccorumq; animalium,
 quorū nō meminit Archigenes, uerū suilli solius, quod omnium est moderatissimū:

cui uirtute respondet & cinnabari: huic proxime accedunt conchæ combustæ & ordeum, postea oleum uetus. Quemadmodum autem hæc exagitant, incidunt et discutiunt, id quod uiolenter impactum est: ita astringētia repellunt, alia omnino syncera à contrarijs facultatibus, quædam excellentia uí astringētia. Myrtus enim & myrta, piceæq; cortex, integra sunt à contrarijs uiribus, sicut & rubus & fycaminus: quamuis mediocri magis astringētia sint prædita quàm myrta, ipsaq; myrtus, sed particeps est tamē huius sensibilibiter. Myrteum mixtæ uirtutis est, ex oleo & myrtis, uel myrti succo compositum: quorū oleum sanè molliendi uirtute pollet. Myrtus autem & myrta, astringētia: quæ non mollire, sed contrahere & stringere nata est. Rosaceum imbecillioem sanè astringētionem, quàm myrteum obtinet, attamen & ipsum mixtæ facultatis est. Sicut autem hæc confecturis mixtas uires possident, sic alia sua sponte, quemadmodum lentiscus, cyperus, & lenticula: id quod ostensum est in libro, quo de ipsis tractaui. Digerendi autem et abstergendi facultate, sine calore sensibili prædita sunt, quorum Archigenes nuper meminit, beta & cremata cimolia: at priusquam cremetur, imbecillior betæ uirtute est, uerum cucumeris, bryoniæ, & asparagi ualentior. Argenti spuma generosius medicamentum est quàm cimolia, ignem nō experta: imbecillius autem multo quàm ut propositum affectum curet. Cadmia in mediocribus magnitudine achoribus cōmoderata est: spodion citra rosionem siccatur: manna etiam concoquit. Oleum ut nuper dixi, laxatoriæ quidem facultatis est, sed huius inualidæ, atq; ideo in mixtura facile uincitur: nam cū emplasticis & refrigeratorijs, qualis est cerussa, illud magis potest uim suam ostendere, ut substantiam corporum quæ contingit contrahat, denset & stringat. Verum hæc omnia in Archigenis oratione permixta sunt, ut qui neq; ipse distinxerit in qualibus achoribus, neq; quando utendum sit unoquoq;. Vsurpat autem uinum, non adiiciens quale, etsi permultum inter uina sit differentia: aliud enim esse austerum, aliud acerbum, aliud dulce, aliud acre, manifestum existit. Nonnulla etiam plures simul qualitates repræsentant, ut quæ habeant aliquid & dulce, & astringēs, & acre. Cum igitur simpliciter aliquis scripserit, immergere uino quippiam: conijcere lectorem oportet, quemnam scopum medicamenti compositio obtinet, atq; huc respicientem idoneum eligere. Astringens sanè, in quibus repellere uoles: acre, in quibus discutere: et alia, ut uniuscuiusq; uim indicauimus, ubi differentias uinorum comprehendimus. Acetum uero quouis tempore ad achoras est accōmodatissimum, ut quod incidat crassos, uiscosos humores, discutiat repellatq; id quod influit. Non autem solo priuatim utetur aliquis, nisi abluere & abstergere achoras uolet: uerum immergens ipsi medicamenta, mediocria quidem, in quibus affectus incipit exiguusq; est. Valida autē, in maioribus longioribusq;: ualentiora autem, in longissimis & curatu difficillimis. At differentia quæ ex robore medicamentorum sumitur, nuper à me cōprehensa est. Ex ijs autem medicamentis quæ tradidit Archigenes, nequaquam uterer semper uiuo & cerussa: quippe illud refrigerat fortius quàm cōueniat achoras incipientes refrigerare. Cerussa autē modicam sanè habet uim refrigerandi, sed est medicamentum emplasticum, in cuius uicem uti licet spodio & pompholyge.

Quæ Apollonius in primo de remedijs paratu facilibus ad achoras inscripserit.

Apollonius in primo de remedijs paratu facilibus ad achoras primū quidem
 » in hæc uerba scripsit: Caput rosaceo oleo inungito, deinde post hoc betæ succo si-
 » militer, tertio ab ijs testudinis sanguine eodem modo utitor, quarto laurino oleo
 » caput illinito, quinto crocino unguento inungito similiter. Inter hæc primū con-
 » scriptum imbecillimum est, pueris, mulieribus, & tenera carne præditis utile per
 » affectus initia: etenim concoquit, digerit, repellit, omniaq; mediocriter efficit. Se-
 » cundum, ubi betæ succo uti consulit, efficacius quidem est rosaceo, digerendi facul-
 » tate

tate præditum, non tamē ad ualidas confirmatasq; achoras accommodatum. Testudinis sanguis superfluus est, & ne experiri quidem unquam tentauī. Quod deinde scriptum est, laurinum ualide calefacit & digerit: opus autem est ut uacuatū sit, & totum corpus & caput, ut humores achorē generantes discutiat. Crocinum unguentum habet quiddam & digerens & astrictorium, & concoquens. Valentiora autem tria hæc rosacei natura sunt: idcirco quæ de illo dicuntur, de his quoq; colligere licet. Post hæc ordine hisce uerbis scriptum est: Tauri urina exterito, deinde post hoc facit etiam cameli urina huic perlimilis; utendū erit his, inquit, pluribus diebus. Verum ego ei dixerim, nō modo non pluribus diebus, sed ne uno quidem solo, purus ac elegans homo sustinere poterit ullius huiusmodi animātis urinam, capiti superfusam, idq; in affectu tam exiguo & curatu perfacili: dis enim dia pason sit, quod dicitur, & rosaceo uti minima uirtute prædito, propositi symptomatis respectu, & tauri cameliq; urina, acerrimis, grauissimis, insuauissimisq; existentibus. Post hæc tale quoddam medicamētum in eam sententiam scriptum est: Furfurū, chœnicis dimidium in aquæ heminis duabus macerato, mox tritum percolatumq; succum incoquito cum aceti hemina dimidio, usque dum sordium spissitudinem habeat, atq; hoc caput exterito, deinde aqua colluito: aut betæ decoctio, aut fœnugræci, aut lupinorum: illitu autem utitor irini unguenti sedimento. Hoc medicamētū digerit citra rosionem, ex ijs quæ uocantur absterforia compositum: talis enim facultatis est furfur, beta, & lupinum. Fœnugræcum digerit, nec non calefacit mediocriter. Ex hoc genere est etiam irini unguenti sedimētum. De aceti uirtute antea quoq; dictum est, nempe ad achorum affectum esse idoneum: quare utendum est ut medicamento accommodatissimo efficacissimoq;. Aliud ab hoc medicamentum Apollonius his uerbis tradidit: Cucumeris syluestris radices decoquito, succo ipsarum achoras exterito. Didicimus cucumeris radicem uim habere admodum digerentem. Ab hoc istud medicamentum sequitur: Terræ cimoliam, sulphuris uiui, paria pondera cum aceto in balneo inducito, eoq; achoras exterito, calida aqua abluito. Hoc etiam inungere conuenit medicamentum, non solum, ut dixi, in balneo uti: quippe omnes obtinet facultates, quibus affectus indiget, cum acetum quidem ipsas habeat, sicut etiam prius comprehensum est: sulphur autem solum ultra quàm par est calefacere possit, & digerere: idcirco probè ipsi cimoliam admiscuit, id quod ex ambobus compositum est, ad temperamentum symmetriam reducens. Subsequens autem medicamentum, ubi ait, malam siccatam contusamq; in urinam spargito & exterito: reprehendo, quantum & prius urine usum reprehendi, etli uim ipsius ego quoq; affectui conuenire dixerim. Deinceps autem scriptum, in quo ait, fici folia in aqua cocta, eademq; aqua sola exposita, et fece tosta indita, exterito, post hæc absterforijs pilos illuito: facito autem absterforium acre, quousq; in balneo illitum non possit achorē uehementer irritare, præsertim si quis ordine, ut iussit, colluat, hoc est, aqua dulci caput superfundat. Ceterum id genus medicamētis uti securum non est: nam fex combusta admodum acre est medicamētū, ut in opere de simplicium medicamentorū facultate ostensum est. Quod autem succedit medicamentum, tutum usum obtinet, ac utetur aliquis eo audacter, ex argenti spuma & laurino cōposito. Miror autem quomodo oleum tanquam laurino simile, medicamento misceat, hunc in modum scribens: Argenti spuma læuigata ex oleo albo aut laurino, caput calida aqua prius lotum inungito: permultum enim commune hoc oleum, quod album uocauit, à laurini uirtute abest, ex diuerso ipsum à laurino distinguens. Quod post ipsum scriptum est, similem habet absurditatem: quippe loco argenti spumæ cerussa utitur, mergitq; ipsam myrteo aut laurino, medicamentis permultum differentibus: etenim hoc repulforium est, illud admodum calefacit, digerit: atque usus nimirum repel-

lentis per initia est: digerentis autem, humore, qui achoras generat, iam infixio firmatoque; item rubi canini folia, quorum deinde meminit, quae contundere & exucare, mox oleo misceri iubet, imbecille sunt medicamentum: incipienti autem affectui solum accommodatum est, quippe quod canis rubus astringat. Tale est medicamentum etiam plumbago cum cerussa ex uino usque ad spissitudinem macerata, ut medicamentum fiat quod possit illini. Contrariae autem praedictis potentiae est, quorum aequaliter meminit, nullam adijciens distinctionem, tum ei quod ex nasturtio, tum illi quod ex scylla constat. Scribit autem de priore in hanc sententiam: Nasturtij & salis pari modo ad ipsi anserino mixto laeuigatoque utitor. De secundo in hunc modum: Scyllam in fornace defossam, quemadmodum cucurbitam, ubi mollis facta fuerit, exprimito; deinde succum oleo miscens, non copiosum illinito. Liquet autem in omnibus, multo hoc esse uehementius, id quod ex nasturtio praeparatur. Quod deinceps scribit, lenissimum est remedium, si dolor aliquis uehemens in achore fuerit, quatenus mitigandi gratia decenter adhibeatur: si autem durum & inueteratum achorem discutere uoluerimus, omnino imbecille. Scripsit de eo Apollonius in hunc modum: Hemina olei gratissimi in plumbeam pilam infusa, cochleari plumbeo sumpto, subigas quousque crassum euadat & subnigrum, deinde argenti spumae & cerussae, uniuscuiusque libram unam subactam oleo misceto: post caput elotum siccatumque medicamen inungito, non ex oleo simpliciter, sed interim ex rosaceo, interim ex myrteo praeparatum. In ani excrescentijs, rupturis & ulceribus dolorificis praestantissimum habebis, & in id genus alijs, quae ualidioribus medicamentis adhibitis irritantur. haec enim summe leniunt mitigantque, si phagedaenica, si cancrosa, si quomodocumque malignum aliquid habentia uideantur. Non igitur oportebat confectionem ipsius nunc scripsisse, sed ut ego antea dixi, satis erat dicere dolorificos achoras eiusmodi medicamentis leniri. Commune enim hoc in omnibus est dolorificis, peculiariter autem facit achoribus. Scripsit deinde eiusmodi medicamentum: Argenti spumae drachma octo, rutae foliorum tenerorum drachma quinque, olei drachma octo, aceti heminae pars quarta: contritis in eodem caput illinito. Hoc medicamentum abunde satis experientiae nobis dedit. Per simile ei uirtute est, & quod ab eo deinceps in hac symmetria scribitur: Cerussae drachma sex, argenti spumae drachma quatuor, cere drachma sex, olei rosacei aut myrtei quod sufficit, ut ceratum liquidius facias: sicca cerato miscebis, & caput inunges. Hoc etiam ad totius corporis eruptiones, quae exanthemata dicuntur, ualde utile est: quare uere etiam hoc ab Apollonio scriptum est. Quod autem hoc sequitur, admodum digerit, ut quod spumam nitri copiosam recipiat: nam nisi olei copia coerceret, acrius esset quam conuenit: uult enim uni argenti spumae parti quintupla spumae nitri admisceri, atque his contritis paulatim oleum affundi, usque dum spissitudinem ad illinendum idoneam accipiat.

Quae medicamenta Crito ad achoras conscripserit.

In libris de medendis morbis generalis uniuscuiusque affectus praesidiorum uires persecutus, paucorum memini exemplorum materiae definitae, differens in idem omnium ipsorum congerie tractare: in praesentia autem omnia, quae ab omnibus prodita sunt medicamenta prolixum esset conscribere. Quae uero ab insignibus experientia uiris comprehensa sunt, satius uisum est uniuersa enumerare, ut etiam ea quae propinqua inter se omnino eadem esse uidentur, paulum autem euariant pondere aut confectione, per legentes qui hosce libros tractant, illa potissimum praepararent, quorum materiae copiam habuerint. Interdum enim uel neutiquam inuenimus quaedam miscendorum medicaminum; aut eiusmodi inuenimus, ut ea iniicere non audeamus. Huius autem cura maxima in omnibus medicaminum confectionibus habenda est, ut quae miscentur, sint uigentia & probata. Idcirco igitur iam etiam Critonis omnium meminero, qui mihi diligetius achorum curationem persecutus fuerit. In quinque igitur sermones

sermone disciplinam ipsorum distinxit, quorum primi ego quoque mentionem faciam. Primus sermo Critonis de achorum curatione. Scribit igitur in hac uerba Crito: Ad achoras capiti oborientes (fiunt autem hi plerumque furfuribus & propemodum scabie precedente) initio utendum est confectionibus subscriptis. Ad achoras recentes. Glutino fabrili cum aqua cocto illinito. *Aliud.* Papaueris sylvatici & aliterci folia cum oleo illinito. *Aliud.* Fici surculos aut folia tenera ex aqua trita inducito: in uetustis, ex aceto conteres. *Aliud.* Nucum amararum interiorum partem in aquam tepidam iniectam, & cortice exuto cum aqua terito, & ubi cerati spissitudinem feceris, loco prius derafo imponito. In diuturnis cum aceto dissoluito. *Aliud.* Stercoris ferri & rosarum aequalem portionem ex uino tritam imponito. Nonnulli uero ubi contriuerint, cerato quod ex rosaceo preparatum est, excipiunt. Secundum sermonem de achorum affectu in hanc sententiam scripsit: Cum autem superficies circumtenditur, eoque molestat, infra positis confectionibus utendum est. Lipara ad achoras, psudrachas, feruidas eruptiones, attritus: est & sedit bonum remedium. Argenti spumae drachmae quinquaginta, rutae tenerorum foliorum drachmae uiginti quinque: aceto dissoluta, rosaceoque excepta aut myrteo, pinna illinito. *Alia.* Argenti spumae drachmae ducentae, cerussae drachmae centum & quinquaginta, rutae drachmae centum, herbae pediculariae drachmae uiginti quinque, aceti sextarii tres, myrtei librae tres: terito particulatim liquorem adijciens, & composito quemadmodum praedictum est. *Alia.* Cerussae drachmae centum quinquaginta, argenti spumae drachmae centum, rutae drachmae centum, myrtei sextarii tres: terito particulatim liquorem adijciens. *Alia.* Cerussae combustae drachmae centum, rutae drachmae centum, mannae, thuris, paria pondera, piceae corticis drachmae quinquaginta, olei myrtei sextarii duo, aceti tantundem, composito similiter. *Alia.* Recrementi plumbi drachmae centum, pampinorum uitis drachmae centum, thuris drachmae centum, myrrhae & aphronitri paria pondera, aceti & myrtei quantum satis est. In tertio huiusmodi scribit: Cum dispositio in uetustate incidit, utendum est subiectis confectionibus: deinde ordine scribit Damocratiu ad achoras humetes & diuturnos: Ladani drachmae octo, cerussae tantundem, sulphuris uiui drachmae quatuor, uino et myrteo oleo utitor. *Alia.* Argenti spumae drachmae octo, pampinorum uitis drachmae octo, hypocistidis succi drach. quatuor, aphronitri drachmae duae, gallarum drachmae tres aut duae, aceto & myrteo utitor. *Alia.* Malicorij, gallarum, acaciae rubentis, uino malicorij gallasque incoquito, acaciae uino dissoluta reliquis diligenter laeuigatis adijcito, & cum bene habuerint, myrteo excipito. *Alia.* Argenti spumae, cerussae, alterci, misyos, cicutae surculorum paria pondera, thuris combusti, surculorum oleae aequalia pondera, excipito aceto lentiscinoque oleo, & utitor. *Alia ualde generosa.* Cerussae combustae drachmae octo, argenti spumae drachmae octo, calcanthi drachmae quatuor, rhus rubri drachmae quatuor, sulphuris uiui drach. duae, opij drachmae duae, myrrhae drachmae duae, aceto & lentiscino oleo excipito. Quartum sermonem de achorum curatione his uerbis tradidit: Quoniam uero ex inscriptis ad achoras multa siccant, magisque dolorem inferunt tanquam superficie circumtensa, utendum est subsequentiibus confectionibus, quibus licet citra dolorem proficere. Leuce insuperabilis, efficax ad achoras humentes, cotumaces: item ad feruidas eruptiones & attritus, Argenti spumae drachmae centum, cerae drach. centum (alij quinquaginta) cerussae drachmae centum, thuris drachmae uiginti quinque, aluminis scissi drachmae sedecim, terebinthinae drach. uiginti quinque, piperis albi drachmae tres, olei sextarius. Cum autem mutata fuerint, adijcito cerae resinamque, et moueto donec manus non inueniant: deinde ubi sustuleris ab igne, & aliquantum refrigerari permiseris, sicca adijcito, & in pila transfusis emollitisque diligenter, utitor illinens in linteolum, & tertio die soluens. Magis autem iuuat medicamentum, si misceatur Melinae Passionis dicta,

» ut duæ quidem sint partes Leucæ insuperabilis, una autē Melinæ Pasionis dictæ.
 » *Aliud.* Cerussæ drachmæ centū uiginti, argēti spumæ octoginta, ceræ drachmę ut
 » gintiquatuor, terebinthinæ drachmę duodecim, mannæ drachmæ sedecim, alumi
 » nis scilli drachmæ octo, olei hemina duæ: cōponito quemadmodū prædictū est.
 » Meline Lucij, omnē fluxū exiccans, ad achoras diuturnas & humentes efficax,
 » Ceræ drachmę octo, sandarachæ drachmæ quatuor, seui uitulini drach. quatuor,
 » terebinthinæ drach. duæ, thuris drachma una, myrrhæ drach. una, aluminis scilli
 » combusti drachma una, piceę corticis drachma una, olei myrtei quod sufficit: quę
 » liquari possunt, siccis superfunduntur. *Alia* Meline Hyini, omnē fluxum delic- 10
 » cans. Argentī spumæ libra una, cerussæ libra una, salis fossitij libra una, aluminis
 » scilli selibra, chalcanti uncia sex, olei sextarij duo, aceti sextarius. Incoquito oleū,
 » salem, cerussam, argenti spumā, usq; dum manus non inquinēt: sicca autē contusa,
 » increta, aceto dissoluta, medicamento frigescenti iniijcitur, paulatim aspergens, mo-
 » uensq; continenter; deinde in mortariū ubi transfuderis & emollieris curiose, exci-
 » piens utitor. Thebei, ad achoras humētes, Argentī spumę drachmę quadraginta-
 » octo, cerussæ uigintiquatuor, corticis thuris drachmæ duodecim, gallę immaturæ
 » drachmæ duodecim, ceræ drachmæ octo, resinę terebinthinę drach. sedecim, olei
 » sesquihemina: componito, ut prædictū est. Incipit autē quintū sermonē de achoris
 » Crito in hunc modū: Cum dispositio declinat, et omnino cicatrix nascit, ad totius 20
 » dispositionis sublacionē subscriptis cōfectionibus utendū est: deinde ordine sme-
 » gmata cōscribit plura, iuxta hūc modū singula. Smegma ad achoras, sursures, aspe-
 » ritates, scabiē. Terrę cimolię libra una, nitri rubri libra una, myrobalani expressio
 » nis uncia sex (alij librę sex) myrrhę drachmę octo, piperis albi drach. octo, nardi
 » gallicę drachmę quatuor, casia drachmę quatuor, costi drachmę quatuor, contusa
 » cribrataq; reponito: usus est in balneo. *Aliud.* Nitri rubri libræ quatuor, terrę ci- 20
 » molia tantūdem, myrobalani expressionis libræ duæ, cyperi libra una (alij quatuor)
 » baccarū lauri libra una, iridis sicę libra una, bryonię radicis, struthij, amygdala-
 » rarum purgatarū, cornu ceruini cōbusti, singulorū libra una: cōponito quęadmo-
 » dum prædictū est. *Aliud.* Fecis uini cōbusti, quā Romani feculā nomināt, librę ui- 30
 » gintiquatuor, aquę fluuiialis sextarij uigintiocto, thuris librę duæ, terrę samię librę
 » duæ, olei sabini librę iij. (alij sextarij quatuor) ceræ librę tres semis: fecem & aquā
 » in cadum fictilem nō picatū coniecta, linito ad dies septem cōmadescere, ac ferula
 » ter quotidie moueto: subsequenti die ubi dissolueris & per sacco colaueris, liquo-
 » rem in uas æreum splendidū transfusum, igniq; impositū coquito, lucidiore igne
 » utens, & cum tertia pars confecta fuerit, oleum & cerā indito, ac rursus leui igne
 » utens incoquito: cum autē iniecta liquefacta fuerint, thus & terram samia lauigata
 » iniijcitur: ubi rursus contuderis, in uas uitreū ualidū traicito: nam subtilia rumpun- 30
 » tur. Cum usus postulauerit, locum affectū circumillinendo et diligenter infricādo
 » abstergere cōuenit: recte quidem in balneo: sin minus, domi: etenim utile est medi-
 » camentū ad omnē sorditiem, asperitatē, & scabiem, impetiginesq;. *Aliud.* Feculæ 40
 » libra una, aquæ pluuiialis sextarij sex, thuris albi librę duæ, mastiches libræ duæ, al-
 » cyonij libra una, guttę ammoniaci librę duæ, terræ samię libræ duæ, olei rosacei li-
 » bræ duæ, ceræ tyrrhenicę albæ librę duæ: fecē in aquā immergito, ut prædictū est,
 » ter quotidie ferula cōmouens ualide, deinde liquorē sacco traiectū, & in uas splen-
 » didum trāsufusum, igniq; impositū ad dimidias discoquito, deinde quę liquari pos-
 » sunt addito: ubi dissoluta fuerint, alcyoniū in tenuissimū puluerē redactū inspergi-
 » to. Sint autē in procinctu aqua fecis dissoluta lauigataq; probē, thus, ammoniacū,
 » mastiche, terra samia, ut sordii spissitudinē habeant: hæc inspergito adijciens, sub-
 » gensq; diligenter, exceptis utitor. *Aliud* Diasmyrnon appellatū. Fecis cōbustę lib.
 » uigintiquatuor, aquæ pluuiialis sextarij xlvij. olei sabini libræ quatuor, ceræ librę
 » quatuor

quatuor, terre famię librę duā, thuris librę duā, mastiches libra una, guttę ammo
niaci libra una, myrrhę drachmę octo: cōponito, ut prius à me cōprehensum est. »

Quę Cleopatras ad achoras in Cosmetico prodiderit.

Quę Cleopatras cōscripserit ad achoras, deinceps illiusmet uerbis explicabunt.
Ad achoras: Fœnugræco tenui incocto, nigre betę succo macerato caput eluatur: »
aut betę decocto, aut terra cimolia macerata: his elutū oblinatur, myrto leui cum »
œneleō, super betę folia applicentur. *Aliud* ad ulcerosas admodum: Cerussę tor- »
refactę drachmę duā, thuris drach. duā, sulphuris drachma una: læuigata ex oleo »
inunguntur. *Aliud* etiam ad furfures efficax: Nitri, chalcanti, singulorum dra- »
10 chma una, læuigata & ex oleo delinuntur & illinunt. *Aliud* ad achoras: Myrrham »
& myrti albi uiridia folia læuiga in uino, ubi contriueris, delinito: aut terra cimo- »
lia incensa cum uino nigro obducit: aut cerussę & plumbaginis paria pōdera utri »
usq; cum myrteo læuigata inducito: aut sulphuris uiui drach. sex, thuris masculi »
drachma una, aluminis scissi, herbę pediculariæ, eruçæ, nitri spumę, singulorum »
drachma una, chalcanti drachma una, rutę germina tria: læuigatis aceti modicū »
adijcto, & laurinum oleum, aut myrteum, aut crocinum, aut uetus oleum: ac ubi »
liparā, hoc est, pingue medicamentū effeceris, illinito, ubi locū hoc smegmate prius »
absterferis: Oesypi staterem unum, lupinorū stateres duos, ptisanę staterē unum, »
lomenti staterem unum, cucumeris sylvatici radicis drachmas quatuor, Hęc leui »
10 gata misceto, & ad abstergendū exhibeto. Idem facit etiam et ad leprā, et ad uaros. »

Quę Soranus ad achoras conscripserit medicamenta.

Quoniam et Soranus de achoribus cōscripsit, tum in quarto de medicinis, tum
in monobiblo medicamentorio, medicamēta nōnulla etiam nobis per experiētiā
cognita, partim nostro usu, partim apud p̄ceptores aut amicos medicos, con-
templatis hęc quoq; adijciemus, sic ad uerbum prodita: Cum multa sanies excer- »
natur, & dolor uehementer affligat, cataplasma cōueniet ex lente læui cocta cum »
mellis momento, aut ex pane cum coriandro, aut plantagine, aut solano, aut seri, »
aut polygono, aut perdicio herba, Soranus igitur tanquā in affectu hoc implicato »
huiusmodi remediā adhibet, ex propria ipsius opinione causam adferēs. Videtur »
30 autē reuera prodesse dum incipit affectus & generatur, cōmuni repulsionis ratio-
ne. Deinceps ait: Cum accessiones remittūt, locum tondere oportet, & abstergere »
fœnugręci decocto, item betę similiūq; ex aqua, nō ex urina: sicut & nos antea da- »
mnauimus eos, qui ex urina misturam molirentur. Deinde ordine subdit medica- »
menta etiam nobis, ut dixi, cognita. Plumbaginis, sulphuris uiui, paria pondera: »
læuigatis affundito rosaceū, aut myrteum, aut lentiscinū usq; dum sordium spissitu- »
do facta fuerit, & illinito. *Aliud*. Sulphuris uiui, argenti spumę, cerussę, singulorū »
pares modi, croci pars dimidia: læuigata ex passo cretico delinuntur. *Aliud*. Rutę »
læuis drachmę quatuor, argenti spumę drachmę octo, aceto oleoq; rosaceo mixta »
illinito. *Aliud*. Argenti spumę drachmę uiginti, calcis uiuę totidem, aceti hemi- »
40 na: læuigata instar liparę illinito. *Aliud*. Chalcitis drachmę duā, sandarachę dra- »
chmę quatuor, argenti spumę drachma una, uino austero & myrteo læuigata il- »
linito. Ab hoc deinde medicamento Soranus aliud scripsit ualidum, quod secun-
dum suę sectę institutū nominauit metasyncriticon, quasi dicat recorporatitium.
Conuenit autem diuturnis & cōtumacibus uitijs, quo etiam utens aliquis familia-
rium medicorum clarus extitit. Olei cedrini sextarius, aceti acris sextarij tres: co-
quito usq; dum acetum euaporet, deinde adijcto adipis porcini, falli, ueteris, libras »
duas: quo liquefacto & olla ab igne deposita, adhuc inspargito nitri læuis uncias »
octo, sulphuris uiui uncias sex, sandarachę unciā unā. Postquā medicamentū illi- »
tū inauerit, iubeto in balneo abstergi, tū cōmemoratis, tum uino, & ouis, et nitro, »
& cucumeris sylvatici radicū decocto, aut fecerhodia, & pumice cū aqua calente. »

Ad psudracia, achoras, ulcuscula, & pustulas, quae exanthemata dicuntur, capiti oborientes.

Ad praedictos affectus adhibenda est idonea uictus ratio, corpus purgandum & caluaria, pilulis ex aloë, colocynthide, & scammonia, ita ut pilulae quae exhibentur, brassicae succo exhibeantur; deinde loco inducetur remedium, cuiusmodi est adiantum cum rosaceo illitum, aut foenugræci decoctum ad abstersionem adhibendum, aut malua cum ordeacea farina cataplasmatibus modo adhibita, aut melilotum cum foenugræci farina ex uino applicatum, & cicerum decoctum. Item ipsa cocta applicata profunt, uel nuges amarae mansae & illitae. Discutit etiam maxime lilij radix, si locum ea abstergas: item thus cum uino et aqua & lupinorum amarorum decoctione ad abstersionem accommodatum. Bulbi cum nitro infricati, thus ex acetolilitum, mali granati coria ex laurino oleo illita: ad haec anchusae radices cremate tritaeque ex oleo, ut sordium haheant spissitudinem, inunguntur pinna, & profunt.

πικρά, forte μα
κρά, parua pro
λεπτοκέρυα
ουελiana.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM SECVNDVM LOCOS liber secundus, Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

De omni capitis dolore & hemicrania generalis doctrina.



VI capitis doloris praesidia citra distinctionem literis mandarunt, plus noxae quam comodi ijs qui fidem ipsis adhibuerunt, attulere. Non enim ob unam omnes dispositionem corporis, capitis dolore infestantur, uerum & plures sunt haec dispositiones, & propria singularum curatio. Vna siquidem dispositio ex simplici intemperie citra humores consistit, altera ex horum qualitate oritur, quemadmodum & tertia quaedam alia ex copia ipsorum duntaxat generatur: praeterea quum hi humorum & uaporum transitus obstruxerint. Insuper alia habetur, quum ex imbecillitate quibusdam capitis particulis, spiritus flatulentus fuerit innatus; interim etiam ex causa quadam primaria, quam Graeci procatartica appellant, utpote a si u solis extrinsecus, aut frigore, aut ebrietate, aut ictu. Vehementissimi igitur capitis dolores ex caliditate & frigiditate nascuntur, praesertim quum inaequales extiterint: mediocres, qui ex siccitate proueniunt: humiditates nullus dolor comitatur. Pari modo etiam si propter humores redundantes, uel in omnibus capitis particulis, uel in una quacunque, uel duabus dolor accidit. Vehemens sane ex calidis & frigidis enascitur, mediocris ex ijs qui exiccant citra caliditatem aut frigiditatem conspicuam. Qui humectant, nullum prorsus dolorem inuehant, quantum ad qualitatem attinet: etenim ob copiam instrumentarios morbos conciliant, nullum autem similarium, in quibus solis dispositiones ex intemperie simplici gignuntur. Quae uero ex copia nascuntur, sine obstructione caput quidem grauant, cum obstructione uero mediocriter sane dolorifica, ob modicas obstructiones, ualde autem ob ualidas eueniunt. Quod si etiam mordacem habet qualitatem humoris copia, hac quoque parte dolore augebit. Haec sane dispositionum differentia, quantum ad causas efficientes pertinet. Aliae uero ex particularum patientium natura sumuntur: aliquando enim extra caluariam affectus habetur, aliquando intra, & nonnunquam omnium exteriorum uel interiorum est, nonnunquam non omnium est, sed unius generis corporum, nempe arteriosum, aut uenosum, aut neruolum, aut membranolum, aut cutis, aut ipsius cerebri. Difficillimum itaque est locum affectum dignoscere, unus ne sit, an plures uno, aut quinam hi existant: imò nec dispositionem inuenire promptum est: sed hoc quoque hominem requirit, qui se literarum studio ac ratione, multaque & continua aegrotantium dispositionis inspectione exercuerit.

Proprietates